2

COMOEDIAE HORATIANAE TRES.

EDIDIT

RICARDVS JAHNKE.



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCXCI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

IOANNI ZVRHELLEN

S.

PRAEFATIO.

Inter paucos illos uiros, qui medii aeui comoediis operam dederunt, adhuc nemo quantum scio accuratius inquisiuit, quomodo factum sit ut poemata huius generis huiusque formae comoediae uocarentur, et quod exemplum auctores eorum secuti sint. Neque enim quisquam puto contendet ex suis ingeniis poetas uel uersificatores illos[1]) hoc poematum genus hausisse, quod Ernestus Muellenbach describit sic[2]): '... elegiacis uersibus aut comicarum fabularum argumenta enarrant aut narratione hic et illic interposita ipsa per diuerbium decurrentia scaenicarum similitudinem quandam prae se ferunt.'

Plauti fabulae illis temporibus fere[3]) ignotae erant, ita ut eas imitari non liceret. Quae si notae fuissent, quomodo exemplo fuerint futurae, discimus ex 'Polyxena' comoedia quae a Leonardo Bruno Arretino scripta est, cum Sarsinatis opera denuo inuenta omnium doctorum hominum animos et oculos in se conuerterant. Terentii comoedias imitata est quodammodo Hrotsuitha Gandeshemensis[4]) prorsa oratione, quia uersus comici, quos ne nos quidem plane perspicimus, illo aeuo minime intellegebantur. Ouidium igitur imitati esse debent hi poetae? Ouidium, a quo quin elegiacam for-

1) Kuno Francke, Zur Gesch. d. lat. Schulpoesie p. 22: 'Man konnte wirklich Neues nicht schaffen, daher spielte man mit dem Alten.'

2) com. eleg. p. 5.

3) pars enim et a librariis propagata est et a grammaticis quidem lectitata, ut docet Osberni Pannormia (Buecheler).

4) hoc uerum poetriae nomen esse uult Barack (die Werke der H. p. II sq.)

mam mutuati sint, dubitari nequit? — Equidem interioris formae id est narrandi huius generis Ouidium auctorem fuisse quam maxime nego propterea quod nullum Ouidianum poema hunc in modum compositum est, nisi forte ostendis 'Amorum' libri III elegiam 3, quae tamen non prorsus huc quadrat et quam inter carmina illorum 'sine titulo' librorum minime in deliciis medii aeui fuisse puto. Pro certo igitur habeo aliud exemplum quaerendum esse, quod comoediarum elegiacarum auctores secuti sint.

Earum quidem comoediarum quas Muellenbach primus uno nomine comprehendit par uel simile in antiquis litteris Latinis non reperitur, sed earum, ex quibus has ortas esse existimo. Exstant enim comoediae complures, de quibus tres hoc loco tractandas mihi sumpsi, quae sunt 'de nuntio sagaci', 'de tribus puellis', 'de tribus sociis'. Quarum primam nuper edidi in 'schedis philologis' Hermanno Vsener dicatis p. 10—34, quam tamen denuo et ut puto melius ex pluribus libris hic profero, secundam quod sciam his quidem temporibus primus edo, tertiam repeto ex Hauréauii et Peiperi editionibus. His tribus comoediis id commune est, quod poeta non extra rem uersatus carmen pronuntiat de aliis hominibus, sed de se ipso quasi per monologum narrat, quid sibi euenerit. Cui monologo sermones inserti sunt eorum qui rem agunt tam uiuide relati, ut idem efficiatur quod in illis comoediis. Non igitur dubitaui haec quoque poemata comoediarum numero attribuere, quamquam neque in manu scriptis neque in impressis libris hic titulus eis adiectus est. Maxime fortasse miraberis, quod exiguum 'de tribus sociis' poematium comoediam uocaui. Nam quod Guilelmus Cloetta[1]) ex Ganfredi[2]) uerbis quibus hoc carmen introducit:

1) Beiträge zur Litteraturgesch. d. Mittelalters I p. 84.
2) poetr. nou. uu. 1880 sqq. = Leyser, historia poet. et poem. med. aeui p. 967.

'. . . . Res comica namque recusat
Arte laboratos sermones, sola requirit
Plana, quod explanat paucis res ista iocosa'

elucere contendit ipsum auctorem hoc carmen comoediam appellari uoluisse, mecum refutabis, quia 'res comica' 'res iocosa' non idem significat atque 'comoedia'. Sed quia non ex uersuum numero sed ex genere formaque poetica argumenta ducenda sunt, etiam hos paucos uersus hoc nomine appellare ausus sum.[1])

Separatum igitur habemus comoediarum genus. Quod si statuerimus, iam non frustra quaeremus apud auctores ueteres exemplum. Horatii enim satirae, quas ipse sermones uocauit, id exemplum praebent quod huius generis auctores secutos esse mihi persuasi. Contempleris enim libri I sat. 9. Narrat ibi poeta ad se, cum sacra uia ambularet, accurrisse quendam statimque se appellasse: 'quid agis, dulcissime rerum?' Sequiturque dialogus tam uiuidus, ut quoniam plerumque quis loquatur additum non est, nonnunquam difficilius sit dignoscere, utri uerba danda sint (sicut affirmabit quisquis hoc carmen cum discipulis interpretatus est). Deinde occurrisse Aristium Fuscum. Similiterque eius quoque dicta referuntur. Quartum uenisse aduersarium, cuius interuentu liberatus sit ab illo garrulo. — Videmus igitur comicam ridiculamque rem tractari plane eodem modo quo in his comoediis, quas ideo 'Horatianas' dicere mihi liceat, ut unum genus sub uno nomine comprehendam. Concedo me elegisse satiram ad fulciendam meam sententiam aptissimam, sed reliquae quoque idem narrandi genus magis minusue prae se ferunt. Quam uero medio aeuo in deliciis fuerit Horatius praecipue satirarum et epistularum scriptor, permulta docent testimonia.[2]) Persius quoque et Iuuenalis eodem fere modo uitia castigauerunt

---

1) uide E. Voigt, Zeitschr. f. deutsch. Altert. 35 Anz. p. 7 sq.
2) conf. e. c. 'epistolam ad Iac. Grimm de Ecbasi captiui' (Progr. Bilefeldense a. 1841).

aequalium. Hos uero scriptores cum res describerent persaepe ridiculas et iocosas in carminibus quae satirae dicebantur, quod nomen medii aeui homines ducebant a Satyris, iocularibus illis Bacchi comitibus[1]), et componebant cum fabulis satyricis, ipsos comoediarum scriptores appellatos esse nemo mirabitur. Et hinc melius intellegitur quid sibi uelit Isidorus in Originum libri VIII cap. 7, cum dicat: 'Duo sunt . . . genera comicorum, id est ueteres et noui. Veteres qui et ioco ridiculares exstiterunt ut Plautus, Accius, Terentius. Noui, qui et Satyrici, a quibus generaliter uitia carpuntur ut Flaccus, Persius, Iuuenalis et alii.' — Alia huius doctrinae specimina afferre nolo, quia omnia ex eodem fonte fluxisse uidentur; sufficit quod statuimus satirarum scriptores etiam comicos nominatos ideoque satiras ipsas habitas esse pro comoediis itemque carmina secundum hoc exemplum composita.

Has igitur comoedias quas 'Horatianas' dixi per monologum decurrentes primam medii aeui comoediarum formam fuisse conicio, in quibus per hexametros — uides hic quoque sicut in tragoediis hexametrum primarium fuisse uersum — tales fere res pronuntiarentur quales in fabula, quae est 'de tribus sociis'. Mox uero cum amatoriae res in haec carmina introductae essent uelut est in 'nuntio sagaci', ab Ouidio amandi poetarum principe ea forma sumpta est, quam in eroticis operibus omnibus adhibuit, distichon elegiacum, cuius generis exemplum est comoedia 'de tribus puellis'.[2]) Sic enim comoediarum formam commu-

1) Euanthius et Donati commentum de comoedia ex rec. Aug. Reifferscheidii (Ind. schol. Vratisl. hibern. 1874/75) p. 5: 'hinc deinde aliud genus fabulae id est satira sumpsit exordium, quae a satyris, quos inlotos semper ac petulantes deos scimus esse, uocitata est . . . quod item genus comoediae multis offuit poetis.'

2) quae initio Horatii imitationem aperte indicat: — In Maximiani elegia V, quae huc quadrare uidetur, dialogus aliquantum differt a nostris comoediis.

tatam esse eo confirmatur quod 'de tribus sociis' duas habemus formas, e quibus elegiacam recentiorem esse demonstrabo. Aliud fortasse exemplum praebet 'nuntius sagax', cuius transcriptionem quodammodo elegiacam nominare licet 'Pamphilum'. — Proximum deinde erat ut poeta narrationem illam interpositam non de se faceret sed de aliis, nisi forte id genus proximum existimas, in quo narratio omnino omissa est et sola relincuntur diuerbia, cuius exempla sunt 'comoedia Babionis' et 'de clericis et rustico'. Inter has reliquasque 'comoedias elegiacas' medium fere locum tenet 'Pamphilus', qui narrationem non praebet nisi in principio elegiae III: 'Tunc Venus inquit'. Vtrum uero comoediarum elegiacarum genus uetustius sit, diiudicare non audeo.

Tria igitur comoediarum genera distinguo:

I comoedias Horatianas hexametris adstrictas,
II comoedias Horatianas elegiacas,
III comoedias quae iam uulgo dicuntur elegiacae.

Ne tamen putaueris propter hunc ordinem me contendere e. g. 'de tribus puellis' comoediam uetustiorem esse Vitalis comoediis aut tabulam compositurum me esse earum quae nobis seruatae uel adhuc editae sunt. Nihil aliud dico nisi hunc esse ordinem transformationis. Possunt uero multae interisse, possunt uetustioris generis comoediae cum iam floreret recentius esse scriptae. Omnino tabulas tales nihili facio, quoniam mihi persuasum est ex metricis, rhythmicis, similibus indiciis de eorum quidem temporum scriptis nihil concludi posse. Veluti Vitalem poetam octauo saeculo tribuit Rudolphus Peiper propter elisionum usum. Nihil uero ex eo probabile efficitur, siquidem permultum interest quid singuli auctores didicerint a magistris, quorum doctrinam omnibus locis per totum medium aeuum eandem fuisse nemo puto contendet. — At qui tabulam est compositurus, prius in singulas comoedias accuratissime inquirat semperque reminiscatur oportet

in hac litterarum area modestiam temperantiamque maxime esse necessariam, quia perpaucis de rebus adhuc certa constant. Sed haec quoque monumenta, quae diligentissime tractentur, ideo maxime digna esse puto, quia cum nihil neglegendum sit quod conducat ad historiam humani ingenii cognoscendam, haec minime neglegi debent, quae magnam partem fundamenta sunt litterarum germanicarum. Quod Vdalricus de Wilamowitz dicit[1]): 'die charakteristik von stil und sprache ... erfordert auch noch eine fülle von beobachtungen, untersuchungen und namentlich vergleichungen, die heut zu tage nur für die geschmacklosigkeit und den stumpfsinn der gesunkenen latinität angestellt werden, denen es allerdings leichter ist congenial zu sein', uellem iudicasset quam uere tam beneuole. Ceterum equidem facio cum Mauricio Haupt uiro mehercle philologo, qui in praefatione rarissimi illius libri 'Exempla poesis latinae medii aevi' dicit haec: 'Quae a plerisque despicatui habentur carmina medii aevi latina, ea non indigna esse accuratiore et pleniore cognitione et olim fuerunt qui probe intelligerent et nuper memorabilibus admodum exemplis Isengrimi Reinardique denuo patefactum est . non deerunt qui nihilominus omnem curam his carminibus impensam futilem atque indecoram existiment, tralaticia graecae romanaeque antiquitatis admiratione ita quasi occaecati ut in plerorumque antiquorum poetarum latinorum mediocritate facile acquiescant vel delectentur adeo ea mirifice, quaecunque autem medio aevo latinis versibus scripta sunt vehementer omnia fastidiant.'

1) Euripides Herakles I p. 39.

PROLEGOMENA

AD

COMOEDIAM DE NVNTIO SAGACI.

Caput I.

De fundamentis editionis.

Ad textum constituendum his usus sum libris:

H liber impressus saec. XV, qui seruatur in bibliotheca urbana Hamburgensi sub signo 'Realcat. AC. vol. III p. 140', quem benigne huc transmissum ipse contuli. Tegumento libri e corio facto impressae sunt in parte priore I A H Z M litterae et 'ANNO 1597', qui numerus uidelicet ad conglutinationem, non ad impressionem libri spectat. Forma quadrata est, litterae adhibitae sunt quae uocantur goticae, initiales carminum litterae aut omissae aut atramento adscriptae sunt, chartis impressa sunt signa qualia fere uides in 'Midoux et Matton, Étude sur les filigranes des papiers employés en France aux XIVe et XVe siècles' sub numeris 181. 376. 415 (sine parte infima). Locus et annus et typographi nomen significata non sunt. Folia sunt triginta duo uersuum fere tricenum senum, in quibus titulus, inscriptiones, subscriptiones leguntur hae:

F. 1^a tit.: Ouidij Naso-|nis Sulmo|nēsis poete liber | De tribus puellis | Ouidius de sagaci nuncio | Ouidius de pulice | Pamphilus de amore | Ouidius de nummo | Ouidius de Cuculo | Ouidius de ventre | Epła amatoria metrice ɔscripta. — *F. 1^b*: Incipit epistola perornata cuiusdam amantis ad | quandam puellam. — *F. 2^a*: Ouidij nasonis Sulmonensis poete | Trium puellarum liber incipit. — *F. 6^a l. 12—15:* Ouidij Nasonis Sul-

monensis poete | Trium puellarum liber Explicit | Ouidij Nasonis Sulmonensis poete | De sagaci nuncio liber Incipit. — *F. 10ª l. 18—20:* Ouidij nasonis sulmonensis poete de sagaci nuncio | Liber explicit | Incipit ouidius nasonis sulmonēsis poeta de pulice. — *F. 10ᵇ l. 27:* Explicit Ouidius de pulice. — *F. 11ª:* Querimonia Pam-|phili poete de amore feliciter Incipiunt. — *F. 22ᵇ l. 18 et 19:* Explicit pamphilns [*sic*] de amore | Ouidius de ventre feliciter Inctpit [*sic*]. — *F. 23ª:* Liber Ouidii de vētre | ceterisqꝫ mēbris aduersus vētrem de voracitate ꝯspi|rantibus ac vētris in suos ꝯfrēs amicabilis respōsio.[1]) — *F. 25ᵇ l. 28—30:* Explicit carmen Ouidij feliciter | Epistola Ouidii amato|ria de Sapho ad quandam puellam Phaonem. — *F. 28ᵇ l. 35:* Finis Sapphus Ouidij[2]). — *F. 29ª:* Incipit

---

1) Recte coniecerat Carolus Bartsch (Albr. v. Halberstadt p. VII) hoc carmen idem esse atque id, quod sub Ioannis Saresberiensis nomine male edidit I. A. Giles (Ioh. Saresb. opera omnia uol. V p. 299—304), perpaulo melius I. A. Fabricius (bibl. lat. med. et inf. aet. tom. IV extr.). Falso autem huic auctori poema attributum esse ostendit Carolus Schaarschmidt (Ioh. Saresber. p. 276—278). — Adnoto grauiores discrepantias quae sunt inter Fabricii editionem et H librum, e quibus nonnullas emendationes euadere uidebis. — *u. 3* is] est — *7* Ventris] fratris — *8* ut] in — *15* iubet huic] mouet hunc — *19* duo] due — *24* pius] plus — *31* librans] libro — *36* ac me] voces — nocens] meas — *42* hic] hec — putat] videt — *49* respondit] respondet — *57* quid] quis — *59* labores] dolores — *62* garcio] gratio — *66* cetus] piscis — *71* deturpas] disturbas — *76* Navita] Quisque — *77* casus] casus est — *79* Nabusaradan] Nabusardan — *80* fero et] sero — *106* discutientque] destituentque — *124* conficimurque] affligimurque — *128* ansa] iste — *post 140 hi duo uersus leguntur:* ‘Quando iaces vacuus quia te ieiunia ledunt | Latras et querulus nos facis esse graues.’ *quibus insertis falsi Fabricii numeri redduntur recti* — *148* ista] ita — *149* et eos sapienter] iam sed patienter — *165* meque] neque — *169* accipio] suscipio — *175* minimum] nimium — *179* minimo] nimio — *182* serena] iocunda — *184* parum] panem — *200* Hic] Hoc.

2) Contuli hoc carmen cum eo textu quem edidit Scato Gocko de Vries. Varias lectiones accuratissime appono, ut H

libellus Oui-|dij de nummo. -- *F.* 29^b *l. 20—22:* Explicit Ouidius de Nummo[1]) | Incipit libellus Oui-|dii de cuculo. — *F.* 30^b *l. 25*: Et sic est finis Ouidij de

---

inter libros ab illo adhibitos suum teneat locum. — *u. 1* Nunquid vbi — *5* requiris — *7* elegia — *8* lachrymas — *15* Pierides subeunt driade sue puelle — *16* thespiadum — iuuat — *17* Amithone — Cadno — *18* athis — *19* hic — *21* lucibus — *23* Summe — faretrā — appollo — *24* bachus — *25* daphnem — bachus — *27* Pagasides — 33^a despiceas — sum — *33 et 34 omissi sunt* — *36* Andromade — *41* me — *49* Atque vbi iam — *53* Nec vos errorem — *54* sicelidesque — *57* imittis — si camos — *61* serant — *62* die lachrimas — *63* victus meretricis — *65* inopes — *69* desinit — *72* tangitur — *73* sparci — *79* leuibus — *83* studea — artesque magistras — *84* dedit — *88* rapino — *90* eris — *96* sed quod — *97* lachrimis rotantur — *98* Aspice sit quantum hoc — *100* Et — *101* lachrimas — summa — *103* te — *104* Admonui — tu pignus — *106* velles — *109* Quo — *111* lachrime — lingua — *113* imminuit mea — planxi — *114* ruptis — *117* charaxes — *122* aparta — *125* quanquam — *129* comittere — *130* consuetas — *131* similima — *133* Ulterius pudet hic — omina — *136* somnum — *139* ericto — *141* topho — *142* migdonij — *144* pressit — *145* Sed — silue dominumque — *secuntur hoc ordine uu. 148. 151. 152. 149. 150* — *149* tetegique — *150* lachrimas conbibit — *152* mille — *153* prius — *154* dauleas — itym — *155* itym — miseros decantat — *156* et — *159* extendit — *161* quom [*sic*] fessos — *162* Formosus puer est vilus abesse mihi — *163* que nunc — *164* ambrachie — tibi est — *167* Hic — Pyrre — *169* iussus amans tetigit letissima — *170* Pectore — erat — *173* territa — *174* lachrimas — *175* monstraque — *178* corpare — *180* Nec — *181* chelin — *182* erit — *183* posuit — poetica — *188* forme meritis — *191* O — *199* equore nupture nuptaque — *201* amore — *202* cytharas — *204* que — *207* Hec quid ego an — pectus ne — *208* zephiri — *209* referret — *210* docebat — *211* parentur — *213* orca — eunti — *217* iuuet — sapphon — *219* O — dicar. — *Pro* ae *et* oe *semper legitur* e.

1) Hoc poema recentioribus temporibus quantum scio non editum prorsus diuersum est a uersibus Hildeberti Turonensis archiepiscopi quibus idem titulus inscriptus est. De his conferas quae disseruit Hauréau in 'Notices et extraits' tomi XXVIII part. II p. 319—321, de illo Fred. Guil. Otto commentarios criticos in codd. bibl. Gissensis p. 100.

cuculo.[1]) — *F. 31ᵃ:* Incipit Ouidi9 sulmo|nẽsis poeta de cuculo.[2]) — *F. 32ᵃ l. 4—5:* Seu semper sileant

---

1) De tempore et auctore huius carminis egerunt Ebert (Zeitschr. f. deutsches Altert. XXII 332) et Duemmler (ibid. XXIII 67). Edidit Riesius in Anthol. lat. carm. 687 sub titulo 'Conflictus ueris et hiemis'. Adnoto grauiores discrepantias: *post u. 3 inseritur* 'Dafnis et palemon' — *5* hi] in — *post u. 6 intercalatur* 'Palemon' — *9* alluxit ternos modolamine — Ver] Dafnis *et sic semper* — *12* modulas rutulo — Hiems] Palemon *et sic in omnibus inscriptionibus* — *13* serena — *17* aeuum euo — *24* ueheris] veneris *recte ut mihi uidetur* — *26* est] et — *28* refert] feret — *30* vestiat — *31* Nec — *34* tarda Hiems] frigida Eems — *36* laborat — *40* illis] illis es - superbus — *42* veniat — Palaemon] Palemon et Dafnis — *46* veniet — pastor dulcis et amicus — *48* aruis] anis — *50* veniunt — *51* salutant — *52* ecce] esse. — *In calce leguntur haec:* Pro expositione quorūdam terminoꝝ in Ouidio | de cuculo inuentoꝝ Item Dafnis . i . pastor sic dict9 | in psona veris. Palemon quidam pastor sic dictus | in psona hyemis Item Eyms . i . pastor antiquus | in psona hyemis. Item in annis . i . in pratis.

2) Latet sub falso hoc titulo carmen quod uulgo dicitur 'de philomela'. Contuli cum editione Riesiana (Anth. Lat. carm. 762). — *u. 2* tui] tibi — *3* philomena — *4* uales] potes — rite] ipsa — *5* tentent — *6* modulis equiualere tuis — *8* soles] potes — *9* quamuis — tinninet — *10* At — *11* per ora] palara — drostam — *12* illa] nempe — *13* concinit — *14* carmina — *16* tunc mitilans — *17* frutilat — tunc piscitat — *19* et] hic — gratitat — ansar — *20* gemunt — *22* sorte tetrinit — *23* inque glomis cigni — *24* Accipiter pipat — lipit — *25* gracillat — *26* Pupillat pauo trinsat — *28* Et crotiat — graculus tė frigulat — *29* Glotorat — maerens] de turre — *30* at — hinc titiare solet] tristia flendo pipit — *31* Psyttacus — *32* chere sonatque vale — *33* modulatur guttere — *34* Scurriliter — quicquid de audit ait — *35* cuculant. fritinit rauca cicada — *36* apes — *37* carmine — *38* facta gerens — *40* cucubat — *42* bubit — *43* prognes — *44* consimuli — *45* philomena — *46* exuperat — *47* discrimine — *48* sequar — *49* rancant — *50* Panter — hiundo — *51* orcando — *52* Ast lupus ipse — frendet — apar — *53* glocitant — mugilant *om.* — *54* Ast — et celer *(sicut olim coniecerat Buecheler)* — *55* et¹ *om.* — fetosus ac orcat — *56* Blacterat — ballat — *57* pascens — *58* mutire capris — solet — *59* canis latrat — *60* Glaucitat — ac] at — *61* mintrat — mustelaque dintrit — *68* sonos ideo — *69* tamen] suo — laudum.

siue sonare queant (Explicit | Incipit Vita Ouidij. — *F.* 32[b] *uacuum est.*

De origine huius libri certi quidquam inuestigare nequiui. Fortasse autem unum ex illis signis quae chartis impressa sunt — corona cum lilio coniuncta — originem indicat francogallicam. Inter ornamenta xylographa, quibus titulus cingitur, scutum uidetur ab insignibus uacuum quale fere inest in 'Butsch, die Bücher-Ornamentik der Renaissance' tab. 70 sumptum ex libro, qui prodiit ex Matthiae Schuerer Argentoratensis officina.

Quae generaliter dixi de hoc libro, eadem dici possunt de libro qui sequitur.

M exemplar editionis eiusdem fere aetatis, quod asseruatur in bibliotheca regia Monacensi sub signo 'inc. s. a. 1379', unde liberaliter huc transmissum ipse excussi. Inter signa quae chartis impressa sunt lilium coronae subditum et bouillum caput eadem fere sunt atque in H, reliquorum uero — coronae et crucis — exempla admodum similia praesto mihi non sunt. — Titulus, inscriptiones, subscriptiones leguntur hae:

F. 1[a] *tit.:* Ouidij nasonis poete Sulmonensis | Liber de tribus puellis et de nuncio | Pamphilus poeta de amore (sagaci — *super hoc titulo alius chartae schedula fixa est cum hoc indice copiosiore:* Ouidius nasonis Sulmonensis poeta de tribus puellis | Ouidius nasonis de sagaci nuncio | Ouidius nasonis de pulice | Pamphilus poeta de amore | Epistola amatoria metrice conscripta. — *F.* 2[a]: Ouidij nasonis Sulmonensis poete trium puel|laꝝ Liber incipit. — *F.* 6[a]: Explicit liber Ouidij de tribus puellis | Incipit liber Ouidij de nuncio sagaci. — *F.* 6[b]: Ouidij nasonis Sulmonensis poete de nuncio | sagaci Liber incipit. — *F.* 10[b] *l.* 17—19: Ouidij nasonis sulmonensis poete de sagaci | nuncio Liber explicit | Incipit ouidius nasonis Sulmonens' de | (pulice. — *F.* 11[a]: Explcit [*sic*] Ouidius de pulice. — *F.* 11[b]: Pamphilus poeta de amore feliciter incipit. — *F.* 23[b]

l. 28—30: Explicit pamphilus de amore | Incipit epistola perornata cuiusdam amantis | ad quandam puellam.[1])

Locus, annus, typographi nomen non afferuntur; folia sunt uiginti quattuor formae quadratae uersuum fere tricenum quaternum.

Manu scriptis libris usus sum his:

B codex Berolinensis Diez. C. 4°. 79, quem ipse comparaui. Saeculo XVI attribuit et descripsit Ernestus Voigt[2]) in ʻKleinere lateinische Denkmäler der Thiersage aus dem XII. bis XIV. Jahrhundert' p. 9. Conferas praeterea ʻschedas philologas' p. 13. Nostrum carmen legitur in fol. 69^a—75^b.

---

1) Hinc corrigas descriptionem Ludouici Hain in ʻRepertorii bibliographici' uol. II part. I num. 12255 collatis quae dixi in ʻschedis philologis' p. 12.

2) Ab hoc uiro humanissimo atque doctissimo liberalissime adiutum instructumque me esse pio confiteor animo eique ut ne prorsus hic libellus displiceat opto desideroque. Qui cum alia multa tum hoc me monuit carmen illud artificiosissimum (cf. sched. phil. p. 13) editum iam esse a Guilelmo Wattenbach in ʻGermaniae' uol. XIX (1874) p. 72—74 ex codice Berol. lat. fol. 49. Adnoto igitur discrepantias nostri libri: *u. 1* Aie — *7* iocunde — *16* pusis? — *21* cantalenas — *22* ducant — *27* stillarumque — *28* et *om.* — *37* penuniarum? — *39* vigent *om.* — *41* respergatur — *44* rete — *45* prandendum — *52* Sic — *57* discreto — *58* Faceto — *60* Hinc vt] Huic — *64* Fussos — *67* fragant — *69* encia] curia — *70* feminium — *73* Athesi et] et in — elsacia — *74* matura — *76* cum puppis] populi — *77* sumus — *83* concrememus — *84* heu — *86* retondit — *87* festine — *89* italia — *90* lipck — *91* Italia — *92* Volans — *93* Sociare — *94* eciam] eris — generis] grauis? — *96* haut — *98* inbutus — *100* sed nec] sꝫu^c — *106* Arte humanitatis indugeo — *107* Pro solitus hc) incolatus — *108* A materno foco procul disto — *109* Cor iocundum geꝫto — *110* Tametsi marsubio gradiar mesto — *111* At aliorsum cogor prosilire — *112* Vale Lipck semper salua sies. — Vides igitur nullam hic fieri mentionem Samuelis illius, quem Samuelem Karsch de Lichtenberg siue ʻde monte rutilo' esse docuit Guil. Crecelius, olim magister meus, quem mortuum iam esse doleo (Germ. uol. XX p. 7 sq.). — ʻEpitaphium meretricis' quod hic legis, sunt uu. 3 et 4 carminis eius quod sub titulo ʻHermafrodita' Carolus Bartsch edidit in ʻAlbr. v. Halb.' p. LXXI.

E codex Erlangensis 849 saeculi XV. Contuli ipse. Descriptus est ab I. C. Irmischer in 'Handschriften-Katalog der k. Univ.-Bibl. zu Erlangen' p. 222 sq. et ab Ernesto Voigt l. s. s. p. 8 sq. Irmischeri descriptionem in quadam re correxi l. c. p. 14.[1]) Comoedia 'de nuntio sagaci' legitur in fol. 155^{b}—161^{a}.

V codex Vindobonensis 303 saeculi XIV. Post Carolum Wotke occasione data contuli ipse. Codex descriptus est in Stephani Endlicher 'catalogo codic. philol. lat. bibl. Palatinae Vindobonensis' sub numero 277 et in 'tabulis codic. in bibl. Palat. Vindob. asseru.' uol. I p. 41 sq. 'Liber puellarum' scriptus est in fol. 112^{b} — 115^{b}.

W codex Vindobonensis 3114 saeculi XV mea gratia a Carolo Wotke collatus est. Descriptio codicis exstat in Endlicheri catalogo sub numero 226 et in 'Tabularum' uol. II p. 199 sq. Comoedia nostra legitur in fol. 223^{b}—228^{a}.

X codex Vindobonensis 13685 saeculi XV, quem comiter mihi contulit Arthurius Goldmann. Descriptus est in 'Tabularum' uol. VII p. 248 sq. Commemoratur ab Henrico Stephano Sedlmayer in 'Proleg. critic. ad Heroidas Ovidianas' p. 11. Nostrum carmen, quod legitur in fol. 231—234, scriptum esse uidetur anno 1479.

Praeter hos libros olim alios exstitisse scio, qui nunc perierunt. Codex Argentoratensis anni 1470, quem Carolus Bartsch indicauerat in 'Albr. v. Halb.' p. X, anno 1870 combustus est. Codex Bordesholmiensis, qui ibidem commemoratur, neque Kiliae neque Hauniae asseruatur. Codex Mellicensis, de quo con-

---

1) Auiani fabulae male hic traditae sunt. Epimythia noua adiecta sunt fabulis VI. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVII. XIX. XX. XXIV. XXV. XXVI. XXVIII. XXIX. XXXII (Perficit et tribuit deus et labor omnia nobis; | Nullus in orbe labor proficit absque deo). XXXVIII. XXXIX eadem fere quae leguntur in editione Froehneriana p. 50—54.

fer sis 'Wiener Studien' uol. IX p. 63 sq. et 67, abhinc quinquaginta fere annos amissus est.

De editionibus ueteribus, quarum nullam inspicere potui praeter H et M, uide 'trésor des livres rares et précieux par J. G. Th. Graesse' tom. V p. 80 et 'catalogum libror. impress. bibl. Bodleianae' uol. II p. 914 col. b.

Septem igitur libri praesto mihi fuerunt ad textum constituendum, quos duabus recensionibus attribuendos esse manifestum est, meliori quidem HMV, deteriori BEWX. Hos quattuor libros artissima necessitudine cohaerere optime puto intellegi posse ex ordine uersuum, qui in calce carminis leguntur, cf. app. crit. u. 277. Causam uero huius peruersi ordinis repperisse mihi uideor hanc: Scriptor codicis eius ex quo archetypus huius recensionis pendebat, cum spatium eum deficeret ut singulis uersibus singulas daret lineas, inde a uersu 277 in singulis lineis posuit hexametros binos ita quidem, ut uersus numeris signandi imparibus in sinistra paginae parte legerentur, numeris paribus in dextra hunc in modum:

277 . 278
279 . 280 etc.

Is deinde qui archetypum ipsum exarauit, cum hanc rationem non perspexisset, prius transcripsit ex parte sinistra uu. 277—297, deinde ex dextra uu. 278—296. — Ad hunc archetypum proxime accedere uidetur X, quippe qui liber solus omnes seruauerit uersus, longissime fortasse abest E, qui non solum sicut BW uu. 278 et 280 omisit, sed etiam u. 290. Accuratius uero in horum codicum affinitatem inquirere aut stemma adicere superuacaneum esse existimo.

Meliori deinde recensioni attribuo ut iam dixi HMV libros, quos coniungendos esse mox cognosces, si perlustraueris apparatum criticum e. g. ad uu. 6. 12. 25. 40. 43. 65. 67. 79. 80. 85. 89. 98, ubi horum librorum lectiones stare uidebis contra recensionem alteram.

Inter hos tres H et M tanta affinitate cohaerent, ut paulisper dubitauerim, num ex eadem prodierint officina et H correctior sit editio ex M repetita. Consentiunt enim omnibus fere locis, persaepe contra ceteros libros omnes, uelut in u. 91: verus, 98: Et, 126: fidus, 127: factum, 186: Audes, 211: tu causa, 277: ligatus. At tamen inueniuntur discrepantiae et in adnotatis personarum uicibus in uu. 104. 150. 182. 209 et lectionum e. c. in u. 22: me videt, [30[a],] 142: Si bene, 235: modo facta, 239: ille, 252: qui, 255: amauit, 274: Nobilis, 281: rogas, — ita ut mihi persuasum sit hos libros sumptos esse e codicibus duobus quidem, sed maxime inter se coniunctis. Nulla uero docti uiri cura ex ipsis libris manu scriptis has editiones factas esse pro certo habeo. Et hos optimum esse fontem arbitratus quam plurimum secutus sum, nec tamen eligendi rationem omnem abieci.

In apparatum criticum omnes recepi discrepantias praeter eas quae usitatae sunt in huius aeui libris, uelut ‘ae’ et ‘oe’ semper exprimuntur per ‘e’, ‘c’ et ‘t’ permutantur imprimis ante ‘i’ in libris omnibus, in manu scriptis paene semper pro ‘mihi’, ‘nihil’ legitur ‘michi’, ‘nichil’, pro ‘uulpes’, ‘lingua’ ‘wlpes’, ‘ligwa’ talia. Equidem semper scripsi ‘u’ et ‘V’, cum in libris in principio uocabulorum occurrat ‘v’, in interioribus ‘u’, ita ut scriptum sit ‘vt’, ‘vbi’, ‘viuere’ similia. Compendia plerumque resolui.

Personarum uices in quattuor indicantur libris per notas margini adscriptas: in BHMV.

Appendicis loco ponere mihi liceat eos uersus qui in V leguntur intra subscriptionem et uersum 297 meo quidem arbitratu a fabula alieni, quos emendare supersedi:

Mando tibi spes certa mihi tu corde recepta
Nunc germana fides animo verboque salutem
ł Mando spes certa mihi tu fore corde recepta
Qua presens mallem uere te scire venerem

Vt foret alterne nunc vtraque conscia vite
Sepe timor fugiens nec sollicitasset amorem
Hoc misere sed velle nocet dum posse negaret
Iam iam proplures silue nos saxaque plures
Nunc tu tristicie non te valeo reticere
En modo conspicito quia mesta sororis ymago
Corpus marcescit cor semper triste gemiscit
Et preter lacrimas oculis est nulla voluptas
Fine quibus nullo velis vmbre genas malefio
Hiis solis mentem soleo mulcere dolentem
Hinc caput est egrum defectaque lux oculorum
Obruta sunt corda macie simul omnia membra
Hic labor hic meror mecum sint gaudia
Ecce dolore tremunt digiti nunc cara sororum
Vltima uerba refert uiuat valeat quoque semper.

Caput II.

De uero fabulae ambitu.

'Comoediam' adscripsi huic fabulae titulum et est comoedia sicut seruata est, quoniam comicae tantummodo res in ea tractantur. At quae seruata sunt, non integrum compositumque carmen efficiunt, sed sunt fragmenta. Nam in prologo (uu. 1—34) auctor fidissimum se fuisse Amoris militem narrat, pulcerrimas puellas Cupidinis imperio se subiecisse, nulla uero tulisse praemia, dedere igitur se Iunoni et Mineruae et — Veneri, ut bene seruent fidissimum seruum, cum Amore nullam sibi esse gratiam. Et adiecta causa 'Cernite quid feci pro factis quidue recepi' ducit ad ipsam rem. Sed in fabula quae sequitur usque ad u. 285 docemur quidem quid fecerit, at pro factis quid receperit celamur. Secuntur uero uersus 12, e quibus quamquam res ad finem non perducitur, tamen elucet res postea euenisse minus comicas, cf. u. 297: 'Quid stamus? Reus est. Illum suspendere fas est.' Hi uersus qui desunt in HM, ideo omissi esse possunt quia editor, quem tamen doctum uirum fuisse nego, satis intellexerat omissis his uersibus terminum quendam fabulae dari, additis effici fragmentum, aut quod iam aberant a codicibus e quibus H et M hausti sunt. Sed hoc minus probabile mihi uidetur, quia H et M artissime cum V cohaerent imprimis quod attinet ad uersuum ordinem. Itaque duodecim illos uersus in omnibus libris fuisse puto, eosque ad fabulam adici quasi

opus est, quandoquidem non solum in prologo sed in ipsa quoque fabula uersus leguntur qui talem exitum spectare uideantur, uelut u. 206: 'Luctus saepe grauis risu contingit inani' et uu. 207 et 208, u. 257: 'Non curo uerba mihi si dicuntur acerba', u. 282: 'Tu mihi coniuncta postpone pericula cuncta' e. q. s. Hi uersus quamuis bene stent per se, tamen grauiores fiunt addito exitu tristiore.

Versus autem illi duodecim primum legenti abruptius breuiusque dicti esse uidentur quam reliqui huius comoediae, ita ut cogitatio fiat num a lectore quodam postea additi sint ad complendam auctoris pollicitationem in uersu 34 factam. Sed accuratius inspicienti mox manifestum erit auctorem nostrum ipsas res breuissime enarrare, uberrimum esse in afferendis sermonibus, cf. uu. 170 sqq., 196 sqq., 285. Dialogus autem etiam in eis uersibus qui secuntur fuse lateque decurrisse uidetur. Quadrat igitur haec quoque pars ad narrandi rationem quam tota fabula adhibitam esse uidemus et bene respicit ad prologum et indicari uidetur uersibus nonnullis qui antecedunt.

Sed potest olim fuisse fabula inde a uersu 35 usque ad uersum 285 — cui sententiae a codice Halberstadensi[1]) adiumentum parari non credo —, quamquam huius argumentum secundum nostrum iudicium ualde exile minusque rarum fuisset, quippe quod explicari posset his duobus Hugonis Trimbergensis uersibus[2]):

'swelh meit nimpt tummer knappen schenken,
die wil sich schier an êren krenken.'

Nam quod parum actionis in fabula inest, ideo coniecturam refutare non licet, siquidem perspeximus auctorem non tam res enarrare uelle quam id spectare ut dialogum efficiat uiuidum et sic clarius ostendat

---

1) uide infra p. 36.
2) Renner uu. 12533 sq.

habilitatem suam dialecticam. Num igitur coniectura uera sit postea inquiremus.

Sin uero iam antiquitus prologus ille coniunctus fuit cum uersibus qui traduntur et uu. 286—297 genuini sunt, non comoediam habemus sed fragmentum tragoediae. Conferas enim Diomedis[1]) uerba in 'arte grammatica': 'comoedia a tragoedia differt quod in tragoedia . . . frequenter et paene semper laetis rebus exitus tristes et liberorum fortunarumque priorum in peius adgnitio . . . .' et quae hinc sumpta esse uidentur Ioannis Ianuensis in 'Catholico' s. u. 'tragoedia': 'Comoedia a tristibus incipit sed cum laetis desinit, tragoedia e contrario.' — Sic haec quoque fabula inciperet a rebus laetis et finiretur cum lacrimis. Cetera uero tragoediarum indicia, uelut quod in eis 'introducuntur heroes duces reges . . . luctus exilia caedes', huc non quadrant, etsi tales res in deperditis uersibus pronuntiatae fuisse possunt. Sed illa non omnia tum postulata esse discimus ex uerbis Ioannis Anglici[2]), quae addit ad tragoediae exemplum quod affert: 'Huius tragedie proprietates sunt tales . graui stilo describitur . pudibunda proferuntur et scelerata . incipit a gaudio, et in lacrimis terminatur.' Neque enim iam dicit in tragoedia 'reges et magnates' agere. — Habemus igitur aut comoediam cum additamentis recentioris originis aut fragmentum tragoediae. Vtrum uero rectius sit, ex ipso carmine iudicare non possumus, quia rimorum aliaeue rationes ad hanc quaestionem soluendam nihil afferunt.

Sed ansam parare nobis licet ex comparando eo poemate quod 'Pamphilus' nominari solet.[3]) Haec duo carmina simillima esse primus quod sciam uidit Ru-

---

1) Keil, Gramm. lat. uol. I p. 488.

2) 'Quellen zur bayer. u. deutsch. Gesch.' uol. IX part. I p. 503 not.

3) Ouidii Nasonis Pelignensis erotica et amatoria opuscula, Francoforti 1610 p. 75—105.

dolphus Peiper, qui ex 'Pamphilo' nostram comoediam compilatam esse contendit cum dicit[1]): 'der Mädchen-Ovid ein schwacher Abklatsch des überaus berühmten Pamphilus'. Ego priusquam exponam utrum 'Pamphilus' exemplum fuerit 'nuntii sagacis' an illius hic, colligam quibus rebus carmina inter se congruant. In utroque iuuenis amoris telo uulneratum se esse queritur petitque auxilium illic a Venere, quae sagittam cordi suo infixerit, hic a Iunone, Minerua, Venere.[2]) Mox ut puellae animum sibi conciliet illic mittit anum, hic nuntium illum sagacem. Qui interpretes eodem modo iuuenis libidini uirginem tradunt. Nam cum ei persuaserint nihil timendum esse (conf. Pamph. XLIV 1 et 2: 'Sit timor iste procul, tibi non est causa timoris, | His rebus nunquam proditor ullus erit' et N. S. u. 140), adducunt eam ad puerum solamque relincunt (Pamph. LIV 1 sq.: 'Me uicina uocat, loquar illi iamque reuertar, | Nam nimis hoc uereor, huc modo ne ueniat' et N. S. u. 176). Virgine uero compressa cum reuerterunt, lacrimas eius mirari se simulant (Pamph. LVIII 3—5: 'Cur, Galathea, tuo corrumpis lumina fletu? | Quem mihi demonstras, hic color unde uenit? | Absens dum fueram, quid tecum Pamphilus egit?' et N. S. uu. 204 sq.) Postquam autem eis maledictum est a uirgine, excusant se (Pamph. LX 1: 'Increpor iniuste, procul hoc mihi crimen abest⟨o⟩' et N. S. u. 210) et uirgini maerenti (Pamph. LXII 9: 'Sed modo quid faciam? fugiam captiua per orbem?', 12: 'Laeta tamen miserae spes mihi nulla uenit' et N. S. uu. 233 sq.) factum ne grauiter ferat suadent (Pamph. LXIII 1: 'Vt grauiter doleat non pertinet ad sapientem' et N. S. u. 235).

Ex his similitudinibus, quarum numerus facile augeri

---

1) Archiv f. Litteraturgesch. V p. 539.
2) Animaduertas aduocari Venerem contra Amorem nominarique inter eas puellas quas subegerit Cupidini.

potest, meo quidem iudicio satis elucet alterum poema alterius auctori notum fuisse, quia non est quod de communi cogitemus exemplo. Sed uter fuerit compilator quaerendum est. Ac Peiper quidem 'nuntii sagacis' auctorem 'Pamphilum' imitatum esse posuit, id quod proximum esse conicienti libenter concedo. Nam hoc carmen tanto elegantius est quam illud, ut uix suspicari liceat huius auctorem compilasse rusticum illud et minus politum poema quod est 'de nuntio sagaci'. Sed animum aduertas hoc, quod in 'Pamphilo' amans ille iuuenis iam ipse locutus erat cum puella perfeceratque ut sibi permitteretur interdum una esse cum amicula (Pamph. XI in.: 'Quamuis illicitum complexus nutrit amorem | Et fallunt dominam basia saepe suam, | Hoc solum patiar; sed tu nihil amplius addas' et u. 7: 'Tempora sat uenient, pariter quibus ambo loquemur'). Nihil igitur erat, cur per interpretem (III 65) uirginis amorem sibi pararet, quoniam recta uia eo peruenire poterat quo uolebat. At quamquam ipse profitetur (XII 1 et 2): 'Laetior in toto non est ⟨me⟩ nec fuit orbe, | Figitur in ripis anchora nostra suis', — mox male fingit impedimenta sibi obuenisse (XII 13 et 14: 'Firmet amicitiam si nulla frequentia nostram, | Non bene firmus adhuc forsan abibit amor'), ita ut rursus desperans (XII 21: 'Hac in re nullam uideo mihi prosperitatem') confugiat ad sceleratae illius anus auxilium. Certe consentit hoc cum consilio ei a Venere dato (III 65 et 66: 'Et placeat uobis interpres fidus utrique, | Qui caute referat hoc quod uterque cupit'), at tamen quod meliore patefacta peior uia additur, certissimum mihi uidetur documentum hanc argumenti partem sumptam esse ex comoedia nostra. Omnino 'Pamphilus' comoedia recentiorem olet originem[1]) et Christianismi uestigiis et quod pluralis

---

1) Quo tempore 'Pamphilus' scriptus sit, saepius quaesitum est et adhuc sub iudice lis est. Conf. Muellenbach, com.

qui dicitur urbanitatis nonnunquam occurrit uelut XVI 8.

Existimo igitur 'Pamphili' auctori placuisse dolum illum nuntii sagacis, quem quamqam opus non fuerit, tamen carmini suo inseruerit, ita ut pauca mutaret uel in contrarium conuerteret. Velut illic u. 124 puella ne quid amicis dicatur optat, hic (XXII 1) optat ut dicatur; illic nuntius sagacissimus, qui utrum seruus iuuenis fuerit an amicus in medio relinquitur, hic anus sordidissima interpretum partes susceperunt; hic puella nobilior ditiorque est iuuene, illic iuueni nobilitas et diuitiae adscribuntur (Pamph. II 23—26 et N. S. uu. 90 et 91); illic bene additur uicina illa quae uocans fingitur (LIV), hic 'nuntius' causa non edicta 'innuit ire'. Sic poeta nonnulla mutauit aut correxit et elegantiora reddidit, sed imitatum eum esse 'nuntium sagacem' equidem pro certo habeo. Fortasse hinc quoque factum est ut in hac comoedia tot rimi legantur quot in alia nulla. Numeraui enim in editione Goldastiana 240 fere uersus in quibus finis concinat uel assonet cum caesura semiquinaria, quem numerum auctum iri scio, cum 'Pamphilus' emendatus erit ex HM libris.

Si uero recte statui 'de nuntio sagaci' comoediam 'Pamphili' auctori exemplum fuisse ac fontem, non minus simile ueri est ei nihil in manibus fuisse de uersibus illis qui in HM non leguntur. An si fuisset, putas eum terminum eundem facturum fuisse qui fit in 'nuntio sagaci' uersu 285? Puella factum quod mutari nequit aequo fert animo, cum illic nuptiae futurae

---

eleg. p. 20; Cloetta, Beiträge . . . . p. 156 sq.; E. Voigt in Z. f. d. A. XXXV Anz. p. 10. Adnoto in Ioannis Saresberiensis Metalog. lib. IV cap. 30 (ed. Giles uol. V p. 186) legi haec: 'siquidem ut ait alius non inferior Martiano «Labor improbus omnia uincit»'. — Propter commemorantis praefationem contendere non dubito hunc uersiculum qui transformatus est ex Vergilii uersibus (Georg. I 145 et 146) sumptum esse ex Pamph. III 1. Saresberiensis uero 'Metalogicus' scriptus est anno fere 1159, cf. Schaarschmidt, Ioh. Sar. p. 211.

ostendantur (LXIII 10: 'Haec tua sit coniunx uirque sit iste tuus'), hic uirgo domum reuertatur. Equidem igitur credo, id quod demonstrare nequeo, 'Pamphili' auctorem nostri carminis legisse uu. 35—285 eosque esse genuinam 'de nuntio sagaci' comoediam. Huic comoediae, quam in scholis tractatam esse per Hugonem Trimbergensem[1]) scimus, fortasse dum comparatur cum 'Pamphilo' — haec enim carmina medio iam aeuo comparata esse mihi probatur quod ab Hugone statim post 'Pamphilum' nominatur 'Ouidius puellarum' — a disciplo quodam[2]) uel magistro ad similitudinem augendam adiectus est prologus ille minus sollerter conscriptus, ita ut id fere efficeretur quod dicimus 'Rahmen-Erzählung'. Postea cum cognouisset prologo postulari ut res porro tractaretur, coepit quidam fabulam continuare nec tamen perfecit, et fortasse tunc demum additi sunt ei uersus quos tristem exitum portendere dixi. Certius uero adhuc statui posse nego, quia carmen in scholis lectitatum fortasse per aliquot saecula quin ualde mutaretur fieri non poterat.

---

1) Registrum multorum auctorum uu. 730—737.
2) Vide quae disseruit E. Voigt in 'Mitteil. d. Ges. f. deutsche Erzieh.- u. Schulgesch.' I 1 p. 48 sq.

Caput III.

De carminis origine, titulo, aestimatione.

Quamquam in libris omnibus Ouidio carmen nostrum attributum est, nemo tamen cogitabit de Nasone leoninorum horum uersuum auctore. Quis uero fuerit auctor fortasse nunquam enucleabitur. Et cum permulta medii aeui carmina a quo facta sint ignoremus, quia docendi discendique causa a ludi magistris discipulisue compositis auctoris nomen addere opus non erat, imprimis in hoc non mirabimur, quod auctor nomen suum celauit et Ouidio opus adscripsit, quippe in quo de se ipso res narret lasciuas et impuras. Sed quaerentibus, qua aetate et in qua regione carmen ad lucem prodierit, duo adminicula nobis praesto sunt, quibus innixi originis tempus circumscribamus. Alterum sumo ex epistula amatoria edita in 'Des Minnesangs Frühling'[1]), cuius initio haec leguntur: 'dicit quidam sub nomine Ovidii de amore Sperabam c̃ f f f. quem tamen versum apud me volo alias esse versum. nam sperabam non esse opus nullis scriptis: sed rursus ad arma vocor et quos non volui, cogor inire modos.' Certissimum est scriptori huius epistulae nostrum carmen notum fuisse.[2]) Codex autem, ex quo haec epi-

---

1) ed. Lachmann et Haupt, p. 224.

2) Primus O. Jaenicke (Z. f. d. A. uol. XIV p. 559) in illo 'Sperabam c̃ f f f' latere uidit N. S. u. 2, sed etiam quod sequitur 'rursus ad arma vocor', item fortasse contrarium illud

stula edita est, Monacensis 19411 (Tegernseensis 1411)[1]) assignatus est a uiris doctis initio saeculi XII.[2]) Quod tempus si recte statutum est, quoniam epistulas illas tres compositas fuisse, priusquam omnes epistulae in illum librum colligerentur, elucet ex corruptelis quas auctori ipsi attribuere non licet, saeculo undecimo comoediam adscribere non dubito.

Alterum adminiculum sumo ex rimorum ratione. Nam quoniam rimi impuri satis frequenter leguntur et monosyllaborum numerus numerum bisyllaborum fere adaequat[3]), concedes etiam hoc argumento ad undecimum nos deduci saeculum, si comparaueris quae Guilelmus Grimm de hexametris leoninis disseruit in commentatione 'Zur Geschichte des Reims'[4]), cuius summa haec est: 'von dem Schluss des neunten Jahrhunderts an erblicken wir den leoninischen Reim in beständigem Vordringen . . . Noch ist er einsilbig, aber im elften Jahrhundert erhebt sich der zweisilbige, der bisher nur vereinzelt erschienen war, und strebt nach der Herrschaft, die ihm nach langem Schwanken im Beginn des zwölften Jahrhunderts zufällt.' — Videtur igitur 'de nuntio sagaci' comoedia uetustissima esse omnium eius aeui quas quidem nouimus, nisi forte Vitalis comoediae eisdem temporibus attribuendae sunt, nam uetustiores eas esse persuadere mihi nequeo.

'dicta — acta' in 'exinde quia putatis quod post mollia quaeque nostra dicta transire debeatis ad acta' indidem sumptum est ex uu. 3 et 121.

1) Catal. codic. latin. bibl. Monacensis tomi II part. III num. 1946.

2) Medio fere saeculo XII eum attribuit Guilelmus Wattenbach in 'Archiv für Kunde österr. Geschichts-Quellen' uol. XIV p. 58. Nullo igitur modo potest liber exaratus esse a Fromundo monacho qui floruit sub Gosberto abbate circa finem saeculi decimi. Cf. von Freyberg, Aelteste Gesch. v. Tegernsee p. 176 et 28.

3) cf. infra p. 35—37.

4) 'Kleine Schriften' uol. IV praecipue p. 296.

Francogalliae quandam fuisse regionem, in qua carmen nostrum ortum sit, quamquam nescio num in illa libri impressi uel manu scripti exstent, tamen credo propterea quod 'stare' quinquies[1]) ita adhibetur ut prorsus idem significet atque 'esse', cum in omnibus fere linguis Romanensibus, imprimis uero in francogallica formae quaedam uerbi substantiui[2]) ductae sint ex uerbo 'stare'. Accedit quod pleraque huius generis carmina in Francogallia orta esse scimus.

De titulo deinde huius fabulae ualde dubitare licet, cum in epistula illa amatoria titulus non legatur[3]), in H et M et in catalogo Bordesholmiensi[4]) inscriptum sit 'de nuntio sagaci' aut 'de sagaci nuntio', in libris manu scriptis omnibus — etiam in Halberstadensi et Mellicensi — et apud Hugonem Trimbergensem nominetur 'Liber puellarum' siue 'Ouidius puellarum'. Vter titulus rectior sit, hinc diiudicari nequit; at si recte statui uu. 1—34 postea ex 'Pamphili' exemplo additos esse, 'Ouidius puellarum' genuinus titulus esse non potest, quippe qui ductus sit ex catalogo puellarum quae in his uersibus enumerantur. Praetuli igitur 'de nuntio sagaci' hac quoque de causa, quod sic optime exprimitur argumentum fabulae in qua astutus ille nuntius sine dubio priores agit partes, et bene discernitur haec comoedia ab illa quae est 'de tribus puellis'.

Quanti autem hoc poema aestimandum sit nostro aeuo, exponere nolo; sed interest, quanti aestimatum sit medio. Ac primum quidem ex epistula illa amatoria inter notiora carmina fuisse elucet, quia scriptor in primis litteris enotandis acquieuit notissimum uersum sic satis indicari ratus. Quocum consentit Hu-

1) uide uu. 150. 152. [186.] 212. 274. 284.

2) cf. Diez, Gramm. d. roman. Sprachen⁵ p. 505. 530. 549. 569.

3) 'de amore' ne cum 'Ouidii' coniungas, sed cum 'dicit'.

4) Serapeum X 53.

gonis Trimbergensis testimonium[1]) ex quo hanc comoediam in medii aeui scholis[2]) tractatam esse discimus:

'Sequitur Ouidius dictus puellarum,
Quem in scholis omnibus non credo fore rarum.'

In florilegio[3]) deinde codicis Vindobonensis rec. 3356 saeculi XIII, cuius pars edita est in 'Denkmäler deutscher Poesie und Prosa hrsg. v. Müllenhoff und Scherer' p. 45—52, leguntur hi uersus:

186 Regere qui uiuunt, non omnes omnia possunt = N. S. 106.
187 Rex ubi terga dabit, pauper per prȩlia uadit N. S. 108.
188 Nam seruus nequam rem nunquam diligit ȩquus = N. S. 225.

In florilegio alio[4]), cuius editio peruetus seruatur in bibliotheca Coloniensi urbana sub titulo 'Flores poetarum de virtutibus et vicijs ac donis sancti spiritus', complures nostrae comoediae inueniuntur uersus Ouidio adscripti; in libri I cap. XXXI 'De laude vere paupertatis et vituperio ambitionis' hos legi:

Reges qui viuunt non omnes omnia possunt = N. S. 106.
Pauper iam fecit quod rex fecisse cupiuit = N. S. 107.

itemque in libri VII cap. XL 'De opinione amantium' hos:

Iupiter esse pium statuit quodcunque iuuaret = Ou. her. IV 133.
Mos est antiquus vt amicam querat amicus = N. S. 247.

---

1) 'Registrum multorum auctorum' ed. Ioh. Huemer uu. 734 sq.

2) Miraris fortasse talem librum in scholis lectitatum esse; sed ne credas in Trimbergensis uersu 735 'non' esse tollendum, satis superque monet discrepantiarum ratio.

3) cuius notitiam ab Ernesto Voigt datam mihi esse grato animo refero.

4) Vide Ennen, Katalog der Incunabeln in der Stadt-Bibl. zu Köln p. 93 num. 246. — Hoc florilegium idem esse uidetur atque 'Poleticon' illud quod laudatur ab Ernesto Voigt (Ysengr. p. CXXI sqq.).

Est et semper erat, iuueni quod virgo placebat = N. S. 231.
Quis non laudauit si pulchram pulcher amauit = N. S. 248.
Vltra non cures nouerunt talia plures = N. S. 246.
Talia qui faciunt, non omnes inde perinunt [*sic*] = N. S. 251.
Multi saluantur que plus peccasse probantur = N. S. 252.
Non ego sum sola que sum maledicta vocata = N. S. 253.

In eiusdem florilegii lib. II cap. XXII 'De seruis nequam non exaltandis' sub nomine Bernardi Palponistae legitur nostri carminis u. 225:

'Nam seruus nequam nunquam rem diligit equam'

et in lib. III cap. IV 'Quod potentibus soleat inuideri' eidem attribuuntur nostri poematis uu. 125 sq.:

'Vix viuunt aliqui quicunque vocantur amici,
Qui possint vere firmum sibi fedus habere.'

Bernardo igitur Geystensi carmen nostrum attribuit Fabricius in bibl. lat. med. et inf. aet. tom. I p. 214 sq., cuius sententia satis superque refellitur rimorum ratione. Bernardus enim rimos adhibuit bisyllabos.

Denique in codice Halberstadensi 71 chartaceo saeculi XV tredecim hexametri scripti sunt ex nostro carmine (uu. 35—51) sumpti cum titulo 'Ouidius puellarum feliciter incipit' et subscriptione 'Finis adest'. Varias lectiones horum uersuum recepi in apparatum criticum **h** littera notatas ex editione Guilelmi Wattenbach in 'Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit' uol. XXV (1878) col. 315.

Caput IV.

De rebus metricis et grammaticis.

Adstricta est comoedia hexametris qui dicuntur leonini, in quibus finis uersus assonat ad caesuram semiquinariam. Haec assonatio, cuius origines apud scriptores ueteres uidemus, medio aeuo a rimis lenissimis processit ad bisyllabos puros, praeter quos inde a saeculo XII alii non adhibentur. Nostrum autem carmen non solum ideo obseruatione dignum est, quod medium fere locum tenet inter rimorum monosyllaborum et bisyllaborum carmina, sed etiam quod uestigia seruauit huius progressus. Inter uarias enim lectiones nonnullae sunt quibus assonatio ex monosyllaba fiat bisyllaba, cuius rei optimum est exemplum u. 190, ubi in V pro 'uere' scriptum est 'certe', sine dubio ut assonet ad 'aperte', contra in BEX pro 'aperte' legitur 'habere' assonans ad 'uere'. Plane idem factum est in u. 265 in BEVX, qui 'certe' pro 'quod te' posuerunt assimilatum ad 'aperte', in u. 272 in BEHMWX pro 'grandem', quod solus V seruauit, legitur 'talem'. Sic intelleges, quomodo orta sit librorum omnium corruptela 'periret' in u. 161, sic explicatur insana illa lectio codicis V in u. 143 'crescis' pro 'transit'. Fortasse autem his consideratis praestat scribere in u. 273 'paratus', quod seruatum in EX melius coniungitur cum 'ad omne' quam 'peritus'. Item fortasse in u. 89 deteriorum librorum lectio

'pulcra' retinenda est pro 'bella'. Valde autem dubito de u. 111, in quo si 'tute' non pronomen est sed aduerbium, 'caute' praeferendum esse apparet. Alia exempla afferre nolo, quoniam uel his elucere puto poema sicut ex auctoris ingenio fluxerit restitui non posse et acquiescendum esse in eo quod ex scholarum tractatione prodiit.

Iam uero uideamus quae sit rimorum ratio. Discerno autem quattuor rimi genera: I monosyllabas assonantias, II monosyllabos rimos, III bisyllabas assonantias, IV bisyllabos rimos. Quorum generum exempla attulisse satis habebo ex uu. 1—100, quia in toto carmine eadem ualet ratio. Primi generis exempla uides uu. 3: 'uocor — Cupido' et 15: 'placens — omnes', secundi uu. 7. 8. 9. 14. 17. 18. 19. 22. 23. 25. 29. 31. 37. 39. 40. 42. 51. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 65. 66. 69. 70. 72. 74. 75. 84. 85. 88. 90. 91. 94. 95, tertii uu. 5: 'petis — tendis', 10: 'insistas — mittas', 12: 'eram — ferebam', 20: 'mortem — amorem', 21: 'Venus — foedus', 26: 'contra — monstra', 28: 'Iuno — iuro', 30: 'ego — nemo', 34: 'feci — recepi', 43: 'uestita — ipsa', 44: 'superat — habebat', 52: 'feci — coepi', 54: 'uidit — risit', 64: 'sic sit — inquit', 67: 'rogat — laborat', 68: 'dicat — instat', 76: 'concessis — uerbis', 78: 'amans — mandans', 79: 'quaerit — fecit', 83: 'nutrita — pudica', 87: 'misit — uiuit', 93: 'cupit — iussit', quarti uu. 1. 2. 4. 6. 11. 13. 16. 24. 27. 32. 33. 35. 36. 38. 41. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 53. 71. 73. 77. 80. 81. 82. 86. 89. 92. 96. 97. 98. 99. 100. — Habemus igitur generis primi exempla duo, secundi quadraginta, tertii uiginti duo, quarti triginta sex. Sed num recte semper discreuerim ignoro, quia res est perdifficilis licetque dubitari e. g. 'ille — puellae' utrum rimus sit monosyllabus an assonantia bisyllaba. Omnino autem id animaduertendum est et quantitatem et qualitatem uocalium nihil ualere ad rimorum puritatem. Assonant enim 'uĕnis' et 'plēnis', 'fŏre' et

'amōre', 'quaeris (quęris)' et 'uideris', 'Venus' et 'foedus (fędus)'. Itaque numeri monosyllaborum et bisyllaborum rimorum aequales fere sunt; paulum quidem praeualet monosyllaborum numerus, sed bisyllabis accedunt assonantiae bisyllabae mediae fere inter hos et illos.

Caesura, quae semper ut iam dixi semiquinaria est, breues syllabae producuntur uelut in u. 17 'Europā', u. 24 'forē', ita ut grandem incisionem hoc loco factam esse manifestum sit. Et plerumque cum uersus incisione consentit structura enuntiati. Ne tamen credas uersum in duas partes prorsum fuisse diremptum, ne hic quidem hiatum tolerari uides. Elisio nullo loco fit. Dactylorum numerus praeualet, spondiazon uersus nullus legitur.

A recentioribus poetis multas uocales correptas esse, ut uocabula dactylico metro aptarentur, constat inter omnes. Cuius usus de nostro poeta haec exempla adnoto:

'postulŏ' in u. 77, 'putŏ' 120, 'rogŏ' 226. 281, 'gaudeŏ' 267, 'nesciŏ' 64. 73. 115. 119. 123. 159. 217. 234. 270. 272, 'sentiŏ' 129. 203, 'uolŏ' 168.

[Vides solummodo iambicas formas et creticas ultima syllaba correpta, producta 'curō' 257, 'laudō' 156, 'timeō' 162. 266, 'cupiō' 135].

'uixerŏ' 193; 'pugnandŏ' 284.

'uirgŏ' 179. 231. 285. 294.

'citŏ' 148. 295, 'ergŏ' 85, 'illicŏ' 58. 289; sed 'ergō' 158, 'praestō' 284, 'primō' 165, 'quandō' 60.

'posteă' 113; 'quarĕ' 209.

'ubĭ', 'nisĭ', 'egŏ', 'mihĭ', 'tibĭ', 'sibĭ; sic semper nisi in caesura uelut u. 30: 'egō'.

uitiose productum est 'quīs' u. 112, 'diuertīcula' u. 151.

Praeterea animaduertas in u. 22 'Hēlena' (cf. Dracont. carm. min. VIII 440) et 'Āchilles' in u. 283, cuius usus exempla mihi praesto non sunt. Ad u. 90 'āc' (quod tam recte producitur quam 'hoc') cf. E. Voigt,

Ysengrim. p. XXVII l. 4—6 et indicem ad Eberhardi Bethuniensis 'Graecismum' ex rec. Ioh. Wrobel, ad 'stātim' in u. 180 (sq.) cf. 'Brunelli' uu. 192. 379 et 'Graecismi' indicem (Gr. XX 97: 'A *sto stas stātim*, a *sensu* dicito *sensim*'), de 'ăiebas' cf. adnotat. critic. ad u. 158 p. 46.

In rebus orthographicis eam secutus sum rationem, ut scripturam meliorem uelut 'locuntur' in textum reciperem si unus saltem liber exemplum eius seruauerat. Quod in libris 'hach' legitur, tamen 'ah' scripsi, quia etiam in 'mihi, nihil' 'ch' quod in libris manu scriptis legitur abieci; 'h' uero litteram incohantem abici posse sumpsi ex lectionibus uariis, cf. app. crit. ad u. 201. Accuratius de his rebus agere nolo, propterea quod codices Vindobonenses non ad eas minutias excussos habeo.

Grammaticas res percensere mihi liceat, — quoniam poema minus magnum est quam ut expediat singulas ita exponere ut e. g. Ernestus Voigt disposuit in praefatione Ysengrimi editionis diligentissima, — ordine alphabetico.

'adimminet' in u. 278 apud Du Cange non legitur neque alibi inueni. (Varia lectio: 'adinnuet'; scriptori ob oculos uersatum esse uidetur 'ad-innuit'.)

'altera' pro 'alia' legitur in u. 267.

'audis' in u. 186 coniunctum est cum solo infinitiuo omisso 'me'. Nam ne explices: 'Audis clamorem', impedit similis aliorum uerborum usus.

'cogo' in u. 133 uides coniunctum cum 'ut'.

'cum' respondet in u. 172 sequenti 'tanto'.

'cupere' cum infinitiuo perfecti coniunctum est in uu. 107 ('rex fecisse cupiuit') et 171 ('talem uidisse cupiui').

'dummodo' sensu temporali ('so lange noch') adhibetur in u. 240, sed conf. quod dixi p. 40 s. u. 'modo'.

'est' aliaeque formae substantiui uerbi saepenumero omissae sunt, non solum infinitiuus (at in u. 118 interpretor: 'du leugnest das Gesagte ab'), sed multo saepius uerbum finitum (cf. in aduersam partem Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours p. 708 sqq., ubi scilicet agitur de auctore prorsae orationis), uide uu. 11. 14. 37. 104. 112. 138. 190. 224. 238. 294.

'feci' in u. 215 assumpsit accusatiuum cum infinitiuo; cf. Bonnet p. 673 sq.

'fidem mittere' u. 165 alibi nusquam legitur pro 'fidem dare, polliceri'. — Fortasse habemus originem frequentis usus uerbi 'mettre', qui inuenitur imprimis in lingua francogallica. (Buecheler: immo 'fides' plane pro 'Versprechen', itaque etiam mittitur pollicitatio.)

'fides' in u. 192 plurali numero stat, cuius usus aliud exemplum desidero.

'fore' formaeque inde deriuatae prorsus idem significant quod 'esse' etc. in uu. 14. 24. 82. 191. 224; cf. Bonnet p. 438, qui falso 'fore' interpretatur tamquam praeteritum; qui martyr factus est, non solum fuit, sed est martyr. — Ceterum in u. 200 'quod foret actum' ualet pro 'ut ageretur'.

'fortassis' uides adhibitum in uu. 75. 132; cf. Bonnet p. 306 sq.

'fuerant' talia adhibentur pro 'erant' in uu. 39. 221; in u. 287 coniungitur 'fuerat' pro 'erat' cum participio perf. pass.; 'fuerunt' in u. 288 aequat fere 'facti sunt'.

'Hercles' formae in u. 283 adhibitae aliud exemplum praeter epigraphica (uelut CIL I 1500) non noui, ortam eam esse mehercle non miror.

'ibidem' pro 'eodem' legis in u. 165, cuius usus inde ab Appuleio satis multa exstant exempla. Cf. Gai dig. I 2, 1 extr.; Roensch, Itala und Vulgata[2] p. 408 sq.

'innuit' u. 176 cum infinitiuo structum legitur.

'ipsa' in u. 172 adhibetur pro 'ea', aliis locis libri dissentiunt. Cf. Bonnet p. 301 extr.; E. Voigt, Ysengr. glossar. p. 440.

'modo' pro 'nunc' legitur in uu. 27. 28. 191. 207; cf. Ysengr. p. 445, Graecism. XX 38 sq. — Fortasse in u. 240 distinguendum est 'Dum modo'.

'multum' significat 'ualde' in uu. 45. 48. 90, itemque 'plus' ualet pro 'magis' in u. 172; cf. Ysengr. p. XLIV med.

'negat' coniungitur cum 'ut' pro 'recusat dicere' in u. 68. Exempla plane aequalia nescio, sed cf. G. Mayen, de particulis quod quia quoniam quomodo ut . . . p. 57—62.

'non' pro 'ne' ad imperatiuum assumptum est in uu. 139. 230. 243, 'nec' pro 'neue' in u. 244; cf. Ysengr. p. XLIII. Secundum regulam 'ne' legitur in u. 246.

'numquid' sicut '-ne' introducit interrogationem rectam in uu. 187. 220; cf. Kaulen, Handbuch z. Vulgata p. 197, Bonnet p. 324.

'postquam uenias' in u. 166; non tam coniunctiuus est notandus, est enim satis commodus, quam praesens tempus; cf. Kaulen p. 252.

'postulo' in u. 243 cum coniunctiuo coniunctum est, sed quasi internexum.

'pugnando' in u. 284 est lenissimum uestigium frequentissimi illius usus, de quo conferas Ysengr. p. LII med. et Bonnet p. 655 sq.

'putabam' cum infinitiuo omisso accusatiuo subiecti legitur in u. 212; cf. adn. critic. ad hunc uersum p. 47.

'quaeque' pro 'omnia' positum uides in uu. 53. 157; cf. u. 230 'quisque'.

'quaerere' pro substantiuo ualet in u. 79; cf. adn. critic. ad u. 136 p. 45, Ysengr. p. L. Huius usus frequentissimi originem illustrant talia exempla quale praebet u. 235; cf. Bonnet p. 648.

'quam primum' pro 'cum primum, simul ac' fortasse statuendum est in u. 127 ex EX codicibus; cf. Ysengr. p. XLIII.

'quid, quis' in interrogatione indirecta cum indicatiuo coniuncta sunt in uu. 4. 26. 34. 50. 115. 129. 217. 237. 245. 250. 292 (semel cum coniunctiuo, semel cum indicatiuo). 295. Coniunctiuus legitur in uu. 60. 64. 85. 86. 120. 135. 204. 292. Cf. Ysengr. p. XLIX et Bonnet p. 675 sqq.

'quod' cum uerbo finito saepissime legitur post uerba sentiendi et declarandi positum, uide uu. 23 (cf. adn. crit. p. 43 sq.). 29. 62. 68. 181. 265; pro 'ut' uario usu adhibitum est in uu. 157. 200. 208. 231. 232. 269. 271; cf. Ysengr. p. XLVIII et Bonnet p. 660 sqq.

'quoque' idem fere ualet quod 'et' in uu. 54. 58; cf. Bonnet p. 314 sq.

'quoscunque' pro 'omnes' positum est in u. 216.

'reuidere' exstat in u. 47; in libris aut editionibus Plauto datur Aul. 660, Truc. 320.

'rogare' cum infinitiuo legitur in uu. 134. 176, cum accusatiuo et infinitiuo in u. 281; cf. Kaulen p. 250.

'saluare' pro 'seruare' est in u. 252; cf. Kaulen p. 157.

'se, sibi, suus'. Pronomen reflexiuum pro demonstratiuo paene ubique positum est, uide uu. 30. 37. 39. 50. 57. 64. 71. 94. 102. 103. 146. 169. 174. 240. 242. 294. Demonstratiuum pronomen seruatum est in uu. 37 et 40. Hunc usum minime miraberis, si consideraris reflexiui pronominis formas melius aptari metro dactylico utpote quarum magna pars pyrrhichium efficiat pedem, uide u. 30: iuuenūm sĭbĭ, 37: gracilé sŭă, 39: fuerānt sĭbĭ etc., 'eius' autem et 'ei' ideo minus idonea esse, quia incipiunt a uocali, 'eius' praeterea consona terminatur, uide u. 37: cōrpŭs ĕī, 40: ōs éiŭs hăbēre. Cf. Bonnet p. 694 sqq.

'si' pro 'num' interrogationis indirectae particula legitur cum coniunctiuo in uu. 64. 124, cum indicatiuo in u. 217; cf. Bonnet p. 321.

'sic' significat 'quae cum ita sint' in u. 27; cf. Bonnet p. 304 ('dans ces conditions').

'sperabam' in u. 2 cum solo infinitiuo coniunctum ideo minus offendit, quia in enuntiatis et regente et recto idem ualet subiectum. Errauisse mihi uidetur in hac re explicanda Bonnet p. 648.

'tempus erat' cum infinitiuo 'nubere' exstat in u. 228.

'timeo' cum infinitiuo u. 162; cf. Ysengr. p. L.

'tondĕre' in u. 142 scribendum est cum M (et H); cf. mus. Rhen. XXXVII p. 527, Roensch p. 284, Kaulen p. 193. — Graecism. XIX 90: 'Tondemus barbas, crines, sed tundimus (*uar. lect.*: tondimus) herbas'.

'tute' u. 111 explicandum uidetur pro 'tu', quamquam aliud exemplum mihi ex illis temporibus praesto non est.

'-ue' pro '-que' ualet in u. 34.

'uelle' assumpsit 'fore' in u. 24, sub qua uoce dicta conferas.

'uerba' cum 'reponere' coniunctum est in u. 102, cum 'tenere' in u. 226, quarum locutionum exempla non repperi.

'unquam' prorsus idem significat quod 'semper' in u. 114, quem usum ex contrario 'nunquam' ortum esse apparet. (Buecheler: nisi coniungi ille uoluit 'si dixi . . unquam' liberiore uerborum collocatione arrepta ex uersu nescio quo auctoris antiqui.)

Caput V.

Adnotatio critica et exegetica.

Quoniam Hugonis Trimbergensis testimonio comoediam nostram in scholis olim tractatam esse constat, uix quispiam mirabitur, quod tales in libris exstant discrepantiae, ut equidem omnibus locis ueram lectionem eruisse mihi non uidear. Nam cum haec medii aeui monumenta multo minore cum religione quam ueterum aut ecclesiasticorum scriptorum opera tractari solerent et ab eis qui codices transcripserunt et a magistris, qui in scholis poemata discipulis proponebant, factum est ut quibusdam locis nouus fere textus exoreretur. Nouos enim uersus inseruerunt, rimos accuratiores reddiderunt, uersus quos minus intellegebant aut non satis bene expressos esse existimabant mutauerunt, ita ut acquiescendum sit in restituendo carmine, quale fere legebatur Hugonis temporibus. Qua in re qua ratione usus sim si difficilioribus nonnullis locis explicem, operam me non perditurum credo.

u. 2: fortasse ex HM libris sane optimis et Hugonis registro praeferendum est ʻposuisseʼ, quia minus simile ueri est pro genuino ʻfecisseʼ repudiata assonantia irrepsisse ʻposuisseʼ, sed hoc cum scriptum esset, facile poterat fieri ut mutaretur in ʻfecisseʼ ad consonantiam cum ʻ*f*inemʼ et ʻ*f*uturisʼ efficiendam; cf. u. 168: ʻuolo finem ponere uerbisʼ.

u. 12: pro ʻsolus tuaʼ exspectamus ʻsoli tibiʼ tale quid, sed contra libros omnes mutare ausus non sum.

u. 23: hunc uersum recte traditum esse credere

nequeo. Nam quod Proserpina in Stygiis undis fertur, inde ne tantillum quidem elucet etiam hanc a iuuene Amori subiectam esse, et quamquam statim sequitur 'nec uult salua fore', tamen postulo, ut iam in priore enuntiati membro hoc exprimatur. Propono igitur: 'Respicit ut Stygias Proserpina fertur ad undas', ut similis fiat sententia uersui 18: 'Profuga cessat Io'. (Buecheler: cogitandum est quid ista aetas et ecclesia senserit de Stygiis undis simil. 'Sie ist in der Hölle und will nicht gesund sein, wenn nicht . . .')

u. 39: confer Maximiani eleg. I u. 95: 'Nigra supercilia, frons libera, lumina nigra.'

u. 67: 'silet' scripsi ex coniectura, quia inde mihi persuasi 'licet' illud recensionis deterioris corruptum esse, 'tacet' autem ex interpretamento in textum irrepsisse, cuius coniecturae fulcimentum habeo eum uersum, qui in W (et X) dein legitur.

u. 75: hunc uersum, qui tantum in W et X legitur, ideo in textum receperam quod sic uersus sequentis 'ita' melius intellegitur. Sed monet Buecheler: ualde suspectus utpote abhorrens a poetae elegantia in pedibus quarto quintoque ⊥ – ⊥ | ⏑ ⏑ |; debuit esse 'fortasse tamen bene prodest' simil. u. 37 cum dactylo ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ | ⏑ ⏑ | decurrit modulatior. — Cui sententiae nunc assentior.

u. 84[a]: hunc uersum si cum libris manu scriptis omnibus omiseris, melius quadrabit u. 85 'ergo'.

u. 88: fortasse rectius inciditur post 'omne' (Buecheler).

u. 89: quamquam etiam ea quae in H et M leguntur bonum praebent sensum, tamen ex deterioribus libris 'facie' praetuli, quod 'satis' et 'facile' idem fere ad sententiam ualere puto. Significat enim 'satis' idem quod 'fere, propemodum', cf. 'Du Cange Glossar., ed. noua aucta a Léop. Favre' tom. VII p. 316.

u. 95: 'et' ex coniectura sumpsi, ut repetatur ex membro priore 'absit'.

u. 96: 'afore' si recte conieci, iam hic puella discessuram se esse minatur, nisi omittantur lasciua et petulantia uerba, prospiciturque ad u. 130, ubi 'uere' facilius intellegitur, si iam antecesserunt eiusmodi minae. (Buecheler: dubito 'afore' num id ualeat quod 'abituram'. uerum puto 'affore'; talia tu me praesente loqueris?)

u. 99: ex 'minus' et 'unus' conieceram 'nimius' una adiecta hasta, quod uocabulum in V seruatum esse nunc uidi. Vtrum uero uersus sic recte legitur, an pro 'posse' scribendum est 'meque' tale quid? Artius quidem ita coniungeretur hic uersus cum antecedente.

uu. 109. 110 interpretor sic: Pauper qui probus est ciuibus suis plus prodest officio impleto quam diues rex qui male stat officio uel qui parui aestimandus est; cf. u. 32: 'do mea munera uobis, ich weihe meine Dienste euch.' — Alluditur[1]) fortasse hoc uersu ad Ecclesiast. IV 13: Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto, qui nescit praeuidere in posterum.'

u. 113: 'laudem' respicit fortasse ad u. 103, quoniam 'laudare' adhibetur pro 'concedere', ita ut 'laudamentum' sit pro 'pactum, pignus'.

u. 124: erraui quod in editione priore deteriores codices secutus hunc uersum ante u. 123 collocaui opinatus u. 123 a puella ad se ipsam dici. Coniungendum est 'nescio quid' cum 'profanum' quod antecedit.

u. 136: cogitaui de scribendo 'placuisset habebis', fortasse uero rectum nunc repperi in V codice: 'fit quod placuisse (*scil.* tibi) uidebis.'

---

1) sicut benigne mihi indicauit Ernestus Voigt.

u. 158: ‘agebas’ cum scriberem, feci cum libris melioribus. Sed ‘ăiebas’ quoque recte staret; cf. Bonnet p. 173 et ‘Fecund. ratis’ I 871 not. critic.[1])

u. 161: mutationem necessariam esse credo. An mater dolore tali affecta sibi ipsa manus infert? cf. p. 35.

u. 162: ‘mihi’ est datiuus qui dicitur ethicus.

u. 168: cogitaui num hic uersus et sequentis ‘dicens surgamus’ puellae danda sint, sed cum aliud exemplum non exstet unius uersus duabus tributi personis, omnia adscripsi nuntio.

u. 170: ‘locuntur’ sumpsi ex W neque dubitaui secundum hoc exemplum in u. 247 scribere ‘anticus’ et 224 ‘aecum’ contra libros omnes et ita rimos reddere puriores.

u. 172: estne scribendum: ‘Quo prope plus ...’?

u. 180: ‘redisse’ pro infinitiuo futuri exacti est. Dicitur enim oratione recta: ‘misi eum et statim redierit.’ BEVWX falsum ut uidetur uersum praebent, qui si recte staret puellae dandus esset.

u. 181: fortasse meliorem scripturam seruauit M (‘sensit’); de ‘dum’ pro ‘cum’ adhibito cf. Lud. Traube, ‘O Roma nobilis’ p. 24, 1.

u. 185: unius B codicis lectionem ‘ledit’ sumpsi, quia ‘amare’ pro ‘comprimere’ adhiberi uix crediderim, est igitur aduerbium; cf. Pamph. LVI 7: ‘Pamphile, nostra tuo cur pectora pectore laedis?’ et N. S. 205: ‘Laesit te quisquam?’

u. 193: ‘si uixero’ ualet fere pro nostro ‘wenn ich es erlebe’.

uu. 207 sq. significare mihi uidentur hoc: quod nunc gaudes, scias saepenumero fieri, ut ridens afficiatur luctu. Buecheler uero cogitat de ‘Fit cum’ corrigendo in ‘At non’.

u. 211: ‘sine’ imperatiuus est, non praepositio. Quod

---

1) Benigne mihi indicauit Ernestus Voigt.

cum non intellegeretur, factum est, ut codicum omnium coniectura oreretur collato uersu 148.

u. 212: pro 'me' praeferrem 'te', quia subiectum infinitiui magis desideratur quam obiectum.

u. 217: dubites utrum 'bene te puer ille recepit' affirmantis sit an interrogantis. Mihi autem illud melius uidetur quam hoc subaudioque 'saltem'.

u. 221: accipio uersum in V seruatum, quia illud 'ipsa' bene praeparat uersum qui sequitur, quem Buecheler sic interpretatur: callidior fuissem, callidius et astutius tecum egissem. Vlixes calliditatis exemplar; 'recitasset' fere id quod 'respondisset, dixisset'.

u. 230[a]: uersus, cui locus hic non est, confectus est secundum u. 246.

u. 232: 'est' quod HM post 'melius' praebent, ut tolerari posset, pronuntiandum esset 'meliust' per elisionem, quam huic poemati non concedo; cf. p. 39 s. u. 'est'.

u. 236: sumpsi lectionem HM librorum; ad sententiam cf. Horat. carm. II 5 init.

u. 260: uersum me non intellegere concedo. (Buecheler: uersus nil aliud uidetur uelle quam quod u. 259; ibi ex pueri persona 'uelit nolit, ille me tenebit', hic ex puellae 'siue placet siue non placet, illum ego tenebo')

u. 276: 'Purpura' neglegendum non esse duxi, quamquam huius usus (*plur. neutr.*) exemplum mihi praesto non est; an 'si quă' uitiose scriptum est pro 'si quam' aut 'si quā'? V codicis in membro altero lectio in schola orta esse uidetur.

PROLEGOMENA

AD

COMOEDIAM DE TRIBVS PVELLIS.

Praefanti mihi de 'trium puellarum' libro primum fatendum est paene nihil me scire de hac comoedia. Nihil scio de origine, quando aut ubi aut quo auctore ad lucem prodierit, nulla uestigia repperi quanti aestimatum sit lasciuius hoc poema magisque olens imitationem quam 'de nuntio sagaci' comoedia. Medio aeuo minus placuisse uidetur, nos si ipsum poema spectamus pluris aestimabimus quam puellae et nuntii longos illos dialogos, quamuis multum afferant ad medii aeui sermonis notitiam.

Ad textum statuendum tres adhibui libros: H et M, de quibus conferas p. 13—18, et codicem Parisinum lat. 'fonds des nouvelles acquisitions petit format nr. 153' saec. XV. Quem benigne mihi indicauit Rudolphus Peiper, cum schedis meis contulit Hippolytus Loiseau amicus. Legitur carmen in fol. 32ᵇ—36ᵇ sine titulo cum subscriptione: 'Explicit Ouidius trium puellarum.' Hos tres libros artissime cohaerere inde apparet, quod uu. 67. 124. 189. 203 in omnibus desunt lacunis non indicatis. Menda igitur his communia ex coniectura supplere debui non pauca, uersus deperditos restituere supersedi. — Praeterea legebatur comoedia nostra etiam in codice illo Bordesholmiensi, quem dixi p. 19.

In hoc carmine caesura semiquinaria est longe frequentissima; semiseptenaria coniuncta cum incisione post tertium trochaeum facta exstat in uu. 7. 11. 55. 57. 79. 137. 151. 221, sine illa incisione in uu. 19. 21. 105. Etiam in u. 179 caesuram esse semiseptenariam, ita ut in unum coniungatur 'nox et amor',

inde apparet, quod ultima 'amor' uocabuli syllaba ante uocalem producta est. Praeterea breues syllabae caesura semiquinaria longae factae sunt in uu. 15. 129. 217. 235. (253). De elisionum usu dubitari potest, quoniam in libris duo inueniuntur exempla. In u. 149 'namque ipsa' mutaui in 'me namque', quia illud 'me' necessarium esse duco. In u. 253 secutus sum P codicem, ne in caesura principali fieret elisio. An sumpsit auctor elisionem, ut 'tacta a Phoebo' uerbis in unum coniunctis caesura fieret semiseptenaria? — Rimos numeraui septuaginta septem, e quibus plurimi leguntur in pentametris. Plerique uero tam lenes sunt ut eos consulto adhibitos esse uix sit uerisimile. Enoto igitur tantummodo hos: u. 71: 'gratum — pratum', 129: 'teste — est te', 235: 'parte — arte', 253: 'tacta — liquefacta'. — Dactylorum numerus longe praeualet, spondiazon uersus nullus legitur.

Plerumque inter hexametrum et pentametrum periodi membra sic diuisa sunt, ut hexameter alterum efficiat, alterum pentameter. Artius uero cohaerent uu. 7 et 8, 11 et 12, 25 et 26, 77 et 78, 115 et 116, 201 et 202, 271 et 272.

De rebus prosodiacis adnoto haec:

'putŏ' in u. 54, 'petŏ' 127, 'porrigŏ' 205, 'quaesŏ' 142, 'sciŏ' 56. 228, 'sentiŏ' 286.

'mouendŏ' in u. 96.

'cantiŏ' (*uel* 'contiŏ') in u. 84, 'carŏ' 269, 'uirgŏ' 62. 77. 81. 86. 134. 147. 164. 218. 245.

'ergŏ' in u. 109. 137, ('ergō' 295,) 'primŏ' 77, 'quāntŏmăgīs' sed 'tantōmăgĭs' in u. 267.

'dĭruam' in u. 64 tollitur Buecheleri emendatione 'dirimam'.

Quod in u. 155 'pārantur' legitur, hoc poetae tribuendum esse nego, desideramus 'hortatur' tale quid; item non probo u. 196 'grăto' collatis e. g. uu. 91. 92.

Grammaticas res eodem modo quo in priore fabula tractare liceat.

'absque' adhibetur in u. 38.

'bina' pro 'duo' legitur in u. 110; cf. Ysengr. p. XLI.

'desierat' cum ethico datiuo 'sibi' coniunctum est in u. 85.

'ferendo' u. 207; cf. p. 40 s. u. 'pugnando'.

'fuerant' ualet pro 'erant' in uu. 42. 235, similiter 'fuerat' in uu. 87. 253. 270, 'fueram' in u. 92; cf. p. 39.

'ipse' pro 'ille' legitur in u. 90; cf. p. 40.

'modo' pro 'nunc' uides in uu. 117. 178(?); cf. p. 40.

'mouendo' legis in u. 96; cf. s. u. 'ferendo'.

'non' adiunctum est ad imperatiuum in u. 178; cf. p. 40.

'protinus' cum participio per 'de' coniungitur in u. 69.

'quaeque' similia liberius adhibentur in uu. 53. 70. 88. 132; cf. p. 40.

'quamuis' assumpsit indicatiuum 159. 261.

'quod' secundum medii aeui consuetudinem in uu. 56. 159. 185; cf. p. 41.

'saluentur' exstat in u. 61; cf. p. 41.

'sciret' in structura condicionali adhibetur pro 'scisset' in u. 135; cf. in u. 212 'prodessent'.

'sculpauerat' u. 229 mutandum non est, quamquam alibi hoc uerbum non exstat, sed legitur in Du Cange VII 375 e glossario latino-graeco sumptum: 'Sculpator, *Γλυπτής*, Sculptor' et in Philoxeni gloss.: '*Γλύπτης* Sculpator'... '*Γλύψον* Sculpa'.

'sibi' similia significant pronomen demonstratiuum in uu. 42. 84. 91. 92. 94. 104. 112. 132. 133. 136. 163. 184. 188; cf. p. 41.

'uelle' significat substantiuum in u. 281, similiter in u. 161: 'temptare'; cf. p. 40 s. u. 'quaerere'.

'uetat' cum 'ne' coniungitur in u. 298.

Extremo loco liceat mihi de difficilioribus quibusdam dubiisue locis haec adnotare:

u. 4: ne credas pro 'possum' scribendum esse 'possim', cf. u. 46 'fuit' et u. 144 'potes'.

u. 37: 'uernabant' scripsi, sed fortasse recte se habet librorum 'uernebant'. Nam quamquam huius uerbi exempla non habeo, aliorum tamen exstant ex coniugatione prima in tertiam traductorum; cf. Roensch p. 284 et Bonnet p. 431 sq.; uide discrepantiam M libri in u. 187.

u. 84: 'cantio' sumpsi ex 'cantu' P codicis, quamquam etiam 'contio' pro 'le conte' bonum praebet sensum.

u. 98: num 'Ithacas' uera sit emendatio iudicare non audeo; cogitari quidem licet de 'graias' uel 'graecas', sed uox trisyllaba indicari uidetur lectione H libri.

u. 106: ut melior decurrat uersus, Buecheler conicit 'iudicio cuncta meo superas'.

u. 131: fortasse scribi debet 'Iunŏ uĕnirent', sed ad 'offert' quod sequitur melius quadrat indic. perfecti; 'uĕnerunt' autem probare nequeo.

u. 132: H libri lectionem 'quōque' tutatus est Buecheler usu recentiore coll. cat. Verg. IX (XI) 22. uu. 193. 239. 241 'quŏque' est, sed eadem inconstantia apud ceteros.

u. 140: corr. uersum Buecheler; ipse proposueram 'in cuius pretium suscepit iuuenem'; de 'cu͡ius' uide Lachm. Lucr. p. 26, cat. Verg. IX (XI) 35.

u. 146: sententia eadem esse uidetur atque in Theocriti carm. III u. 20: *ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις*; cf. Ou. Her. XV 55 sq. Riese = XVI 161 sq. Sedlm.

u. 173: pro 'etiam' scribere uelim 'etenim', explicatur enim cur non possit solus domum abire hora nocturna.

u. 182: 'atque facis' uidelicet pro 'remanebis', cogitaui igitur de 'ac facies'.

u. 222: ‘solium’ scripsi hic et in u. 226; cf. Du Cange VII 521: ‘Solium pro Solario seu Camera’.
u. 227: ‘iuuenis’, quod post ‘iuuenes’ inserui, significat uirginem sicut in u. 140.
u. 239: ‘Mox quoque’ quod conieci propius abesse puto a lectione librorum quam ‘Nec non’ quod sensui non minus aptum est.
u. 273: ‘lacertis’ posui pro ‘genis’ sumptum ex Ou. Am. I 4, 35.
u. 293: ‘uero’ scribere malui quam ‘uere’, sed eadem significatione.
u. 299: quae conieci mihi non sufficiunt, sed meliora proferre non poteram.

PROLEGOMENA

AD

COMOEDIAM DE TRIBVS SOCIIS.

Huius fabulae tria tradita sunt exempla e quibus unum uersibus elegiacis, duo hexametris perscripta sunt. Illud legitur in codice Vaticano Christinae reginae 344 fol. 37, ex his alterum exstat in Ganfredi de Vino Saluo 'poetria noua' inde a uersu 1884[1]), alterum in codice Vindobonensi 312 fol. 82ª sq. Haec carmina quamquam satis bene edita sunt — duo priora a Bartholomaeo Hauréau in 'Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale' uol. XXIX part. 2 p. 321 sq., tertium a Rudolpho Peiper in 'Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit' uol. XIX (1872) col. 51 sq. —, tamen hoc loco repetere mihi liceat, quandoquidem illos libros perpaucis in manibus esse puto.

Quaerendum autem est quae ratio intercedat inter haec tria eiusdem fabulae exempla, ac primum quidem comparabo comoediam elegiacam cum ea quae legitur in Ganfredi libello. De illa anonymum poetam increpans Hauréau dicit haec: 'Quel est ce méchant poète? Voilà ce que nous ignorons. Son nom et son temps nous étant connus, nous saurions s'il a copié Geoffroi de Vinsauf ou si Geoffroi de Vinsauf l'a copié.' — Tetigit igitur quaestionem utrum carmen uetustius sit, sed in medio reliquit, quasi quae solui non posset. Ego uero quamuis huius poetae aetatem nomenque unquam enucleatum iri non sperem, tamen ex ipsis

1) Leyser, hist. poet. et poem. med. aeui p. 967 sq. — Eiusdem auctoris liber quo Ganfredi opusculum separatim edidit praesto mihi non fuit.

poematis eruere posse mihi uideor, quomodo inter se cohaereant. Nam alterum alterius auctori ignotum fuisse et ita ab utroque eandem fabulam diuersis metris adstrictam esse nemo contendet, qui animaduerterit totos uersus uersuumue partes congruere. Anonymi enim uersus

9 Intro forum. Sedet unus ibi circumdatus urnis.
15 Dissimulo repetoque locum. Manus haec capit urnam,
16 Haec aliam. Socius . . .

prorsus eidem leguntur apud Ganfredum (uu. 10. 16. 17). Praeterea quis uersiculorum similitudinem non perspiciet horum:

Anonymi	Ganfredi
u. 2 prandia quisque suo	u. 3 Tempore quisque suo
17 Quid facis o demens?	18 Quid facis hic, miserande?
18 Mortuus est genitor atque moraris adhuc?	19 Mortuus est, et adhuc, insane, moraris?
19 'Mortuus?' Et manibus concussis concutit urnas	20 'Mortuus est' manibus concussit conterit urnas
20 Nostra manus. Fugio...	21 Nostra manus. Fugio...

Vter igitur alterum compilauerit quaerenti similius ueri mihi uidebatur Ganfredum elegiacam fabulam transcripsisse in hexametros, ut concinnaret cum totius carminis forma. Sed postquam accuratius inspexi, ad contrariam deductus sum sententiam.

Iam Hauréau rectissime contenderat 'La pièce de Geoffroi . . . est plus claire'. Compares enim e. g. Ganfredi uersus:

Poscit opem defectus aquae; manus arripit urnam,
Fons petitur, lapis obiicitur, pes labitur, urna
Frangitur —

cum anonymi:

Deest aqua, stagna peto, manui datur urna, teritque
Terram terra, pedem petra manusque tremor.

Neque uero clarius tantum sed etiam rectius fabula narratur quam ab anonymo, apud quem loci nonnulli inueniuntur pessime confecti. Nam quid sibi uult illud:

Opprobrium uitare uolens incurro: parare
Sollicitus nobis prandia nulla paro!

Nonne postquam urnam confregit, proximum erat ut ad nouam sibi parandam in forum se conferret, sicut narratur a Ganfredo? Hic autem sine aqua, sine urna prandia parare studet mirabilis ille cocus. — Deinde minus elucet, cur statim tam uehementer increpetur a figulo: 'Desine, derisor.' Optime uero causa additur in 'poetria noua': 'Ille uidens inopem furtum timet.' — Tum socium minime eius uerba intellegere potuisse conicio, cum nihil aliud ei dictum esset nisi 'Vrnas iam mihi taxanti dic obiisse patrem'. Sed poterat re narrata, ut est apud Ganfredum: 'Inuenio socium, rem narro: Reuertar ad illum, | Inquio, tuque sequens proclames funera patris.' — In socii deinde uerbis quae secuntur illud 'demens, quae te dementia uexat?' durius minusque aptum uidetur quam Ganfredi 'miserande', quo praemisso bene additur 'et adhuc, insane, moraris?' — Praeterea meo quidem iudicio narrationis elegiacae ordo peruersus est. Namque in u. 5 'manui datur urna' inepte positum est post 'stagna peto', et in u. 13 praeferrem, si socius prius uideretur quam uocaretur.

His consideratis contenderit quispiam eandem fabulam ab anonymo male narratam melius tractatam esse a Ganfredo. Quam sententiam per se haud ita probabilem refellere posse mihi uideor hoc argumento: Ganfredus si anonymum compilauisset, apud quem nisi in titulo *trium* sociorum nullum est uestigium, immo uel duo possunt esse socii uel sescenti, — hunc numerum cur in fabulam introduceret, non habebat, cum praesertim titulum non adderet. Sed manifestissime de tribus sociis agit dicens: 'Tres sumus . . socii . . . famulantibus ante duobus tertius ecce dies.' At ano-

nymus cum apud Ganfredum tres repperisset socios, in titulum recepit hunc numerum, in ipsa fabula ostendere omisit.

His omnibus computatis facere non possum, quin contendam uetustiorem fabulae formam legi in 'poetria noua' eamque ab anonymo poeta commutatam esse in metrum elegiacum his comoediis usitatissimum. Quid praeterea mutatum sit, infra indicabo.

Eos uersus quos legimus in 'poetria noua' utrum Ganfredus ipse scripserit an aliunde sumpserit, equidem diiudicare non audeo. Sed probabile mihi uisum est ipsum eas transtulisse in hexametros ex prorsa oratione, quoniam caesurarum usus idem est in his uersibus atque in ceteris 'poetriae nouae'. — Frustra autem talium narratiuncularum collectiones perquisiui ad originem huius fabulae indagandam; nam quae sub eodem titulo legitur in 'Gestis Romanorum' [1]) argumento concinit cum ea comoedia quam Hauréau [2]) edidit cum titulo 'de clericis et rustico'. Exstitisse autem eiusmodi fabulam prorsa oratione conscriptam probabilius mihi uidetur propter uersus fortasse indidem sumptos, qui leguntur in Eberhardi Bethuniensis 'Laborinti' tract. II uu. 169 sq. [3]):

Exit seruus habens urnam manibus. Lapis obstat.
Nutat pes. Vrna frangitur. Ille gemit.

Fortasse in uetere fabula tres illae personae non solum nominabantur, sed etiam partes quasdam agebant, quamquam de hac re ualde dubius sum, quoniam hic numerus frequentissime in medii aeui fabulis occurrit, quamuis non sit necessarius, uelut in comoedia quae est 'de tribus puellis' tres illae puellae in introductione tantummodo personas gerunt, in ipsa comoedia non uidentur.

---

1) ed. Guil. Dick p. 160.
2) l. s. p. 322 sqq.
3) Leyser, hist. poet. et poem. med. aeui p. 817.

Ganfredi deinde fabellam uersificator quidam ex hexametris transcripsit in uersus elegiacos simul et narrandi genus mutauit. Horatianum enim quod dixi genus transformauit in usitatum illud quod in plerisque huius aeui comoediis apparet, ita tamen, ut mutatio non perficeretur· Nam solum in prooemio carminis de diuersis a se personis auctor agit, in ipsa uero fabula sic, ut unus ex tribus sociis uideatur esse. Quis uero fuerit auctor nescimus, sed arridet mihi coniectura qua Hauréau ludi quendam magistrum Ganfredi uersus transformasse contendit, cum captaret et breuitatem et contraria. Quo factum est ut oratio si minus ingeniosa, at obscura et nonnunquam ridicula sit. Ipse enim argumentum cum percepisset ex Ganfredi carmine, inscius obscurabat addendis et omittendis grauissimis rebus. Exempla afferre supersedeo, quoniam quisquis hos uersus legerit, comprobabit docti illius uiri iudicium: 'Évidemment l'auteur a recherché le mérite de la brièveté. Mais on n'a jamais recommandé la brièveté toute sèche; il faut qu'elle soit relevée par des oppositions ingénieuses.' — Sed quod idem coniecit hanc fabulam et istam 'de clericis et rustico' ab eodem auctore esse confectas, minus comprobo, immo miror quam maxime. Etenim meo iudicio sermonis usus in his duobus carminibus prorsus diuersus est. Breuitatem quam illic reprehendimus, hic adeo auctam uidemus, ut uix perferri possit. Velut audias uersus primos:

Consocii, quid? — Iter rapiamus. — Quid placet? — Ire
Ad sacra. — Quando? — Modo. — Quo? — Prope. — Fiat ita.

Sed uersuum ratione demonstrari puto huius carminis culpam alii uersificatori tribuendam esse. In uiginti enim illis de tribus sociis uersibus quater (in uu. 3. 7. 9. 15) adhibita est caesura semiseptenaria, in sexaginta duobus qui sunt de clericis et rustico semel (in u. 19) haec incisio fit, cum in reliquis omnibus seruata sit semiquinaria, quae medii aeui poetis maxime

in usu erat. Praeterea illic elisio nulla fit, hic in septem uersibus (3. 4. 5. 7. 36. 61. 62) nouies, ita ut de corruptelis cogitari nequeat. Ceterum utriusque carminis uersus pauciores sunt quam ut aliunde uelut ex rimorum uel assonationum ratione argumenta ducere audeam. Nam quod hic (in u. 10) ‘praei’ pro iambo adhibetur, illic talis mensura non inuenitur, casu potest esse factum. At abicio tamen docti illius uiri coniecturam.

Sed exstat exemplum tertium in cod. Vindobonensi 312 saeculi XIV ineuntis, quod artissime cum Ganfredi uersibus coniungendum esse nemo non uidebit. Adeo enim inter se consentiunt, ut acquiescere mihi liceat in adnotandis discrepantiis. Non hoc carmen ab anonymo illo in elegiacum metrum transformatum esse demonstratur anonymi uersu 15 a Ganfredo mutuato, qui hic deest. Rursus igitur quaestio oritur utrum Ganfredus ex his uersibus suos sumpserit, an hi hausti sint ex ‘poetria noua’. Atque equidem prorsus persuasum habeo etiam huic poemati pro fundamento esse Ganfredi opusculum ex his argumentis:

Res ipsa paulo aliter narratur. Hic enim is qui fabulam refert non ipse iniuriam illatam ulciscitur, sed socius. Quam mutationem non reprehenderem, si bene facta esset. Sed uideas compositionem. Primus socius postquam a figulo ei maledictum est, inuenit socium eique rem narrat. Cui respondet: ‘Reuertar ad illum’. Num uero poterat reuerti ad forum, qui antea ibi non fuerat? Nobis quidem dicere liceat: ‘Ich will zu ihm zurückgehen’, ad eum apud quem tu fuisti. Sed item adhiberi licuisse ‘reuertar’ et mox ‘rediit’ nego. Ac ne credas mutandum esse in ‘Inquio — redii — cucurrit’, monet uersus 19[a] qui mutari non potest. — Praeterea in uersu ultimo illud ‘Insequitur’ non satis clarum est. Certissime quidem dicitur de figulo, sed uersibus qui praecedunt agitur de socio. Denique facere non possum quin offendar mensura

uersus 13[b] 'prōbra', cum in uersu 22 repetatur uel rectius seruetur Ganfredi 'prŏbra', quam diuersitatem tam paucis uersibus non concedo.

Fortasse haec quoque transformatio facta est a ludi quodam magistro. Qui hexametros quidem seruauit, breuitatem non captauit — immo ex 22 uersibus reddidit 25 —, sed corrigere uoluit Ganfredum. Nam primus socius a figulo pulsus mirum erat quod rursus cernere et pernotare posset urnas neque iam, antequam manus altera alteram caperet, denuo a figulo turpibus uerbis fugaretur. Hanc ob rem narrationem mutauisse mihi uidetur anonymus. Neque tamen multo meliora effecit, quia socios illos, cum eiusdem essent expensae, habitu quoque eodem et uestimento fuisse putabis, ita ut secundus non minus inops furque uideretur neque minus pellendus esse quam primus. Reuera correxit solum uersum 20, quia ad 'manibus concussis conterit urnas' non 'Nostra manus' subiectum adiecit, sed socium. — In uersu uero 13[a] corruptum esse puto 'obiecta', quod esse uidetur pro 'opprobria', et in uu. 16. 17 restituere uelim 'haec — haec'.

Summa igitur probabilium rerum haec est: Ex fabula prorsa oratione conscripta Ganfredus hexametros reddidit suoque carmini inseruit circa annum MCC, quoniam 'poetria noua' dedicata est Innocentio III, qui ab anno MCXCVIII usque ad annum MCCXVI pontificatum Romanum gessit.[1]) Sed qui quo tempore duo uiri fuerint qui hoc poema mutarunt, alter ut usitatius induceret metrum, alter ut corrigeret compositionem, pro certo scire nequimus. E codicum uero aetate conicere licet saeculum XIII.

Accuratius autem de his carminibus hic quidem agere nolo, quia Ganfredi tractandum est cum tota 'poetria noua', anonymorum omnino ex illius poemate hausta sunt.

1) Vide Io. Alb. Fabricii bibl. lat. med. et inf. aet. ab Io. Dom. Mansi auct. tom. III p. 13 et tom. IV p. 324.

DE NVNTIO SAGACI.

B codex Berolinensis.
E codex Erlangensis.
H liber Hamburgensis.
h fragmentum Halberstadense.
M liber Monacensis.
V codex Vindobonensis 303.
W codex Vindobonensis 3114.
X codex Vindobonensis 13685.

De nuntio sagaci.

Summi uictoris fierem cum uictor, Amoris,
Sperabam curis finem fecisse futuris.
Rursus ad arma uocor, me quaerit et ecce Cupido. —
Dic, Amor, unde uenis pharetris sic undique plenis?
Cuius castra petis? In cuius uulnera tendis?
Perdere quem quaeris? Certamina uelle uideris.
Hinc procul hinc absis, quia mecum nulla mouebis.
Tot tibi sunt Parides et tot tibi sunt Ganymedes,
Qui uix expectant, tua dum certamina discant.
His precor insistas optataque uulnera mittas.
Nil facies mecum, quia non mihi gratia tecum. —
Dum tibi miles eram, solus tua signa ferebam,

De nuntio sagaci] Ouidij Nasonis Sulmonensis poete | De sagaci nuncio liber Incipit H Ouidij nasonis Sulmonensis poete de nuncio | sagaci liber incipit M Incipit Ouidius puellarum V *hoc loco titulus non legitur in* BEWX.

1 fierem] fuerem W fueram BEX — *2* fecisse] posuisse HM — *3* uocor] uocat HM — me] que E — et] *om.* B — *4* pharetris] pharetrum H — sic] *om.* BEWX — *5* In] vel HMW et B — *6* quem] me BEWX — uelle] valle X — uideris] videbis X — *7* Hinc] Nunc EX Si W Sed B — hinc] hic HM — absis] assis V — quia] quod B — quia mecum] mecum quia V — nulla] in illa X — mouebis V: manebis BEWX videbis HM — *8* sunt[1]] tot V — et tot tibi sunt] tibi tot sunt et V — Ganymedes] ganimedes MWX gaminedes BE — *9* uix] te BW me EX — dum] que HM — discant] distant EHMWX discant † crescant V poscunt B — *10* optataque] o prataque B aptataque X — *11* facies] facias *suprascr.* e V — non mihi] non est mihi B nil nisi V nisi michi E — *12* tibi] michi BEWX — solus tua] tua solus BEVWX — ferebam] gerebam V.

Vndique processi, pro te tua proelia gessi,
Et nisi forma mea, tua laus foret annihilata,
Nam mea forma placens ad amorem traxerat omnes. —
Ecce puellarum sequitur me turba tuarum:
Daphnis et Europa, cum Phyllide Deidamia,
Profuga cessat Io, me uult cum Pallade Iuno,
Telis succincta sequitur lasciua Diana
Promittens mortem, per me nisi uincat amorem,
Instat et ipsa Venus mecum sibi iungere foedus,
Nec curat Paridem, quia me uidet Helena talem.
Respice, quod Stygiis Proserpina fertur in undis
Nec uult salua fore, nisi me sibi iungat amore. —
Has omnes uici, subiectas et tibi feci.
Sed quid tu contra? Quae sunt mihi praemia, monstra. —
Sic tu me serua, per quam modo iuro, Minerua;

---

14 forma] for W — mea] nostra BEW — annihilata] annichilata BV anichilata E — *15* Nam] Namque B — mea] nostra BW — amorem] amores BVW — traxerat omnes] *om.* W — *16* turba] formarum X — *17* Daphnis et] Daphnes W daphmes E dafmes B da fines X — Europa] eurapa HM — Phyllide] phillide BW philide EX pallade HMV — Deidamia] deydamia H deidanira MV dyana B deidiana W daque Diana X deidama diana E — *18* Profuga] Profugat B — cessat E: cessit BHMWX captat V — Io X: yo BEHMVW — Pallade] pallide EW phillide V — *19* Telis] E celis V tays W thais BE talia X — succincta] *om.* X — sequitur] consequitur X — lasciua] lasciuia illa X — Diana X: dyana BEHMVW — *20* Promittens] Promittis B — per] pro BEV — uincat] monstrat E monstret X — amorem] amores W — *In* B *uersuum ordo hic est:* 17. 20. 18. 19. 21 *in margine ad uu.* 18. 19 *signo transpositionis addito* — *21* Instat] Istat B Instet W — mecum sibi] sibi mecum V se mecum BEWX — *22* quia] quod B — me] *om.* MW — uidet] vidit VW — Helena] elena X — talem] talem ł parem V — *23* quod] quot EM — Stygiis] stigiis VX stigijs BHM stigis EW — fertur] fert W — *24* uult] tulit X — sibi] si W — iungat] iungam E — *25* tibi] michi BEWX — feci] fece M — *26 uersus in* V *sic legitur:* sed dic et contra michi praemia sunt modo monstra — quid tu] tu quid EW quid B — Quae sunt mihi] que sunt modo W modo que sunt HM — *27* Sic] Sed BEX — per] post V.

O Venus, o Iuno, per uos etiam modo iuro,
Quod nemo iuuenum tam dulciter arsit in illum.
Aptus sicut ego fuerat iuuenum sibi nemo.
Omnia nil prosunt, meritis quia praemia desunt.
Conqueror id uobis et do mea munera uobis,
Ut bene seruetis quem sic seruire uidetis. —
Cernite quid feci pro factis quidue recepi:

Splendidior stella fuerat mihi uisa puella,
Nobilis et talis, non est hoc tempore qualis.
Corpus ei gracile, sua candidior caro lacte,
Purpureus uultus, mirabilis undique cultus,
Nigra supercilia, fuerant sibi lumina clara,
Oscula quae cuperes os eius habere putares.
Quae cum ridebat, tunc dentes lactis habebat,
Caesaries flaua uolitat per eburnea colla,
Auro uestita fuit auro pulcrior ipsa,
Pulcra manus superat quod gemma decoris habebat.
Quid referam multa? Multum fuit undique culta.

---

28 uos] *om.* B — etiam] ecce BW — modo] bene BEV — *30* sicut] sicud E — fuerat iuuenum] iuuenum fuerat BEVWX — *Post hunc uersum legitur in* M: Fidus sicut ego fuerat iuuenum sibi nemo; *in* V *in contextu solummodo* Omnia *scriptum paucaeque litterae erasae sunt, reliqua uersus pars uacat, margini adscriptum est:* sicut ego iuuenum fecit sibi nemo — *32* Conqueror] conquiro X — id] hoc BE hec W hic X — uobis[1]] verbis BV — *33* quem] quia HM — seruire] seruare HM — *34 om.* HM — *35 in margine* V *praebet:* A sto stas stellas. a sido sidera dicas — *36* et] vt h — est hoc] vllo V hic in HM fuerat h — tempore] antea h — *37* ei] eo W eius BE — sua candidior caro] gena candidior sibi h — *38* Purpureus] Purpures M — *40* quae] dum BW cum EX si h — cuperes] caperes BEhWX — *41* Quae] Et BEhVW — *42* Caesaries] Cesaris E — per] super X — eburnea] ebornea E — *uu.* 42. 43. 44 *om.* h — *43* Auro] Aura W — uestita] festita W — pulcrior] pulchrior BHMV purpurior W — ipsa] illa BEWX — *44* Pulcra] Pulchra BHMV — quod] quam HM — gemma] gen̄na (*significari uidetur* gemina) B — decoris] decora HM — habebat] tenebat HM — *45* multa] vltra hX — Multum] multm M — fuit undique] fuit hec bene BW fuerat

Molliter incessit, apte satis omnia gessit. —
Hanc miser ut uidi, cum uidi, saepe reuidi
Admirans multum me talem cernere uultum.
Mox nimis ardebam, fuit et plus quod cupiebam,
Sed non audebam sibi dicere quid cupiebam.
Nam pudor hoc uetuit, quod amor me dicere iussit.
Tandem quid feci? — Mea munera mittere coepi
Mandans quaeque bona, me si placet et mea dona.
Suscepit, uidit, miratur, clam quoque risit,
Fit rubor in facie, mox pallor coepit inesse.
Quid faciat nescit, uerbum proferre nequiuit.
E tremulis manibus missum cecidit sibi munus.
Illico respexit, suspirans haec quoque dixit:
P 'Quis puer est ille, qui dat sua dona puellae?
Quando me nouit? Mihi dic, quia nescio quis sit.
Dic mihi, quis puer est. Taceas, mihi conscia mens est,
Fama uolat mundo quod non sit pulcrior illo,
Nobilior nemo nec in omnibus aptior illo.
N Nescio si sic sit.' — "Sic est" sibi nuntius inquit
"Et si scire cupis, restat quod carius audis." —

---

bene HhM — *46* apte satis omnia] satis apte singula h — *47* Hanc] Hac X — uidi[1]] vide M — *48* Admirans] Ammirans X Amirans E — me talem] talem me X — cernere] cernre M — *49* fuit et plus quod] fuit vt plus quod B fuit et plus quam HM bene scitis quid Eh — *50 om.* hW — quid cupiebam] quitque volebam E queque volebam X quod cupiebam V — *51* hoc] hic X — uetuit] metuit V — dicere] diceret M discere E — *52* quid] quam W tunc HM — feci] *om.* B — *54* quoque] que W — *55* pallor coepit] cepit pallor BEVWX — *56* faciat V: faceret BEHMWX — *57* E] Et *libri* — manibus] manimus M — *58* Illico] Ilico V — quoque] quobȝ M *59* P(*uella*) *et* N(*untius*) *notis utor ad personarum uices indicandas* — P] Puella H Puelle M v͡a puel B *om.* V — ille] eille M — dona] munera B — *60 om.* X — Mihi] nam W — Mihi dic quia] dic nouit V — *61 om.* V — *62* uolat] volet X uolante V — mundo] scio V — pulcrior] pulchrior EHMV — illo] illa X — *in marg. add.* HM: Nun — *63 et 64 inuerso ordine leguntur in* BEX — *63* Nobilior] Nubilior H — nec] vel BEVWX — *64* N] Pu HM *om.* BV — sibi] mihi HMW vt B *om.* V — *65 in marg. add.* HM: Nun — Et] Quod BEWX — quod] vt BW.

P ‘Cur dicis »restat«? Quid restat?’ quaerit et instat.
Hic silet, illa rogat, quod restat scire laborat.
Hic negat ut dicat, quia scit quod sic magis instat.
Quaerit et illa magis quid sit »quod carius audis«.
Haec magis admirans et adhuc perquirere temptans
Quam bene promisit, quam dulciter et sibi risit
P Dicens: ‘Cur ille misit sua dona puellae?
Dic mihi, dic care, tu dic, quia nescio, quare.’ —
N “Dicam, si locus est et si mihi dicere prodest.” —
P ‘Aptus ad hoc locus est et fortassis bene prodest.’ —
His ita concessis fit laxa licentia uerbis.
N “Accipe mandata, quae postulo sint tibi grata.
Munus mittit amans, »sit uita, salus tibi« mandans.
Noscere te quaerit; quod quaerere laus tua fecit.
Si laudem quaeris, — pulcerrima uirgo uideris,
Pulcrior est nulla nec carior omnibus ulla,

---

66 P] Pu H M *om.* B V — Quid] quod H M V W X — quaerit] quodque V — et] et et B uel V — *ante hunc u. legitur in* X: Nc [*sic*] magna admirans et ad hec perquirere tentans — *67* Hic] hec E hoc B — silet] licet B E W X tacet H M V — illa B: ille E X hoc H M W hac V — rogat] sonat B E W X restat H M V — quod] quid E hec V — restat] instat V — *68* dicat] dicit H M — scit] sic B X si B — sic] sit X se B *om.* E — magis] magna E — instat] instet H M restant E — *69* et] ab B W — illa] illo B ille E — magis] magna E — quid sit] quod sit B W negas id H M — quod] quid E — audis] audit B — *post hunc uersum legitur in* W X: hic (his X) silet (simul X) auditis negat hic quod carius audit — *70* Haec] hic B — magis] simul B — admirans] ammirans E V admians B — adhuc] ad hoc B ad hec X — temptans] temtans W — *71* Quam] Quasi W — sibi risit] sibri isit H — *72* P] *om. in libris* — ille] iste V — sua] dij sua B — *73* dic[1]] iam V — tu dic quia] nisi dicas E V W X nisi dicans B — *74* N] N. H M *om.* B V — Dicam, si] Dic quia si V — *75 om.* B E H M V *cf. p.* 44 — fortassis] fortasis X fortassie W — bene] tamen W — *76* His] Hijs B E — ita] ora E *om.* V — concessis] concessit W — fit] sit V si W — licentia] licenta H licenca M — *77* N] *om. libri* — sint] sunt B E W — *79* quod] quem V — quaerere] quaerit B E W X — fecit] ferit B — *80* laudem] laudaro W — pulcerrima] pulcherrima E H M V W tu pulcerrima B X — uirgo] *om.* B E W X — *81* Pulcrior] Pulchrior E H M V — nec] vel V.

Nullius mores fore dicuntur meliores,
Es bene nutrita, mansueta, iocosa, pudica,
Vt res ostendit, tibi nil natura negauit.
Ergo uide quid sis. Ne perdas praemia laudis,
Quaere parem laudi; quis par sit taliter, audi. —
Huc me qui misit, omni sine crimine uiuit,
Viuit, ad omne ualet, iuuenili corpore floret,
Est facie bella, possit satis esse puella,
Nobilis ac humilis, prudens multumque fidelis,
Est diues, largus, uerax et ad omnia cautus.
Vltra quid dicam? Puer hic te quaerit amicam,
Quaerit, habere cupit, sic me tibi dicere iussit.” —
P 'Iussit? Quid iussit? Sibi me retinere cupiuit?
Absit quod dicis et laxa licentia uerbis.
Es sanae mentis, quod me non afore sentis?
Vere nil sentis; da talia friuola uentis.
Vt tam magna petas, nondum mea sufficit aetas.
Iungere posse thoris nimius labor esset amoris.

---

82 mores] o mores X — fore dicuntur] dicuntur fore W — *83* Es] Et EWX — *84* Vt] Vbi V — negauit] negat W — *post hunc u. legitur in* HM: Quid referam plura do [*sic pro* de] te mihi maxima (maixma M) cura — *85* uide] vides BEWX — Ergo uide] en cernens V — perdas] perdis EHM perdes BW — *86* Quaere] quero E querere B quem X — laudi] ludo *corr. ex* laudo B — par] pars HM — taliter] pariter X — *87* Huc] hic X — me qui] qui me EVX — *88* Viuit] Valet E — iuuenili] iuuenile HM — *89* Est] Et HMVWX — facie] facile HM — bella] pulcra BEWX — possit] posset EV — *90* multumque V: nimiumque BEHMWX — *91* largus] verax *B* — uerax et] verax W verus HM largus et B — *94* P] Uirḡ V *om. B* — Sibi me retinere cupiuit] quod me cupiuit habere BEWX sibi me quid habere cupiuit V — *95 in marg. add.* B: v͡a puelle — quod] quid W — et] o HM sit BEWX non V — *96* Es] Est X — afore] affore BV affero X assare W assere HM asserere E *cf. p.* 45 — *97* nil] non HM — da talia friuola uentis] friuolus dum talia vertis HM — *98* Vt] Et HM — petas] petis W — nondum mea] mea nondum BEX mea dum non W — sufficit] postulat HMV — *99 in marg. add.* B: v͡a nûccij — nimius V: minus HM vnus BEWX — labor] dolor EV amor BW — esset] esset esset B.

Tolle precor tolle; bene scis me talia nolle.' —
N "Parce mihi, uirgo, nullum tibi dedecus opto.
Fac puerum uideas et secum uerba reponas.
Si tunc sit dignus, facias secum tibi pignus." —
P 'Pignus? Quid pignus? Quis nostro pignore dignus?
Regi sufficeret, si mecum pignus haberet.' —
N "Reges qui uiuunt non omnes omnia possunt.
Pauper saepe facit, quod rex fecisse cupiuit.
Rex ubi terga dabit, pauper per proelia uadit.
Pauper si probus est plus regno munere prodest
Quam cum diuitiis rex prosit munere uilis." —
P 'Ah nimis astute mihi reddis singula tute.
Dic mihi, quis ille qui dat sua dona puellae.
Fac saltem uideam, quod laudem postea dicam.
Quid? Dixi »uideam«? Si dixi, paenitet unquam.

---

100 in marg. add. B: v͡a puelle — bene scis me] bene me scis X me scis bene V — *101* N] v͡a nûccij B Nunciꝰ V — Parce mihi] Parcas o BW Parcius o EVX — uirgo] virgo mihi W — *102* puerum] primum B — et] vt BX — *103* Si tunc sit] Et si tunc HM — facias] facies BWX sit fac HM — *104* P] pu H v͡a puelle B *om.* MV — Pignus] dignus EWX — Quid] quod EX — Quis] qui E — nostro] m͡o B — *105 in marg. add.* B: v͡a nûccij, V: Nun — si] quod HM — mecum] secum BEWX — *106* N] v͡a puelle — uiuunt] vincunt X modo sunt E nunc sunt B viuunt sunt W — *107* saepe] iam BEVWX — facit] fecit BEVX — rex] res E — cupiuit] nequiuit BEWX — *108* per] ad HM — *109* regno] regio W regi HM — munere] viuere HMVWX — *110* prosit] prodest E — munere] viuere HMVWX — uilis] multis X — *111* P] *om.* BV — *uersus post* 112 *legitur in* V — Ah] Ach V Ac BX (*suprascripto* t) E at W — Ah nimis] Hominis HM — mihi reddis] reddis michi BE mihi reddes W nisi redde X — singula] et omnia V — tute] caute HM vite X in te W — *112 in marg. add.* V: Uirg̃. — mihi, quis] vbi sit HM mihi nunc VX — dat sua] reddit HM — dona] bona W — *113* saltem] saltim E illum HM — uideam] videas W — quod laudem] quod blandus V blandisque BEW quod secum X — postea dicam] parua reponam X — *ante hunc uersum praebet* B *in contextu,* E *in margine:* fac saltem videam quod (ut E) secum verba reponam.

Nescio, quid dixi; si dixi, mortua dixi.' —
N "Tu bene dixisses, si factis dicta probasses.
Dixisti uere puerum te uelle uidere.
Ecce negas dictum? Laudares, si foret actum." —
P 'Laudarem factum? Quod factum? Nescio factum.
Dic, quid sit factum. Puto, quod non sit bene factum.
Et bene stet dictum, melius quam si foret actum.
Quid uocat hic »factum«? Quoddam fortasse profanum,
Nescio quid, dicit. — Tua me sententia uicit:
Factum, quod dicis, dic si notum sit amicis.' —
N "Vix uiuunt aliqui, quicunque uocantur amici,
Qui possint uere firmum sibi foedus habere,
Cum Veneris pactum primum ducatur ad actum." —
P 'Est illud »factum«, quod uult Veneris sibi pactum?
Sentio, quid quaeris: me fallere uelle uideris.
Vere discedam, tua nec uestigia laedam.

---

116 N] vâ͡ nũccij B Nun V — Tu] Et X Si BE — dicta] verba BE — *117* puerum] primum BE — *118* Laudares] laudarem V — foret] forte H — actum] factum *suprascripto* actum X — *119 om.* BE — P] Uirḡ. V — Laudarem] Laudares BEVWX — Quod] et quod X — nescio] nescia W — *120 om.* B; *in contextu om., in marg. add.* E — sit bene] bene sit W — factum^2] actum X — *121 om.* B; *in contextu om., in marg. add.* E — *in marg. add.* HM: N — stet] stat BVX sit E — quam] quod HM quoque V — si] iam HMW — *122* uocat] notat BE norat X — hic H: h̔ M hoc BEVWX — Quoddam] quondam V — profanum X: prophanum BEHMW peractum V — *in marg. add.* HM: P, B: vâ͡ puelle, V: Uirg. — 123 *et* 124 *inuerso ordine leguntur in* BEWX — *123* dicit] dicis BEWX — Tua] sua BEVWX — *124 om.* W — dic si notum] dixi notum X si notum E dic notum si V — *125* N] Nunci9 V *om.* BH — uiuunt] ueniunt HMVW — *126* Qui] Quid X — possint] possunt BEHMW — firmum sibi] sibi firmum EW si firmum X tunc firmum V — foedus] fidus HM — *127* Cum] Quin HMV Quid W Quam EX Qn̄ B — pactum] factum HM — primum] primo HMW — ducatur] ducatt͠ M dicatur B — ad] in BEWX — *128* P] *om. libri* — *uers. om.* BEX — illud] aliud HMW — uult] des V — *129 in marg. add.* HM: P, V: Uirg. — uideris] uidebis X — *130* Vere] A te V — discedam] dicebam HM — tua] mea V — nec] non HM ne BWX.

Expedit hinc ire, quia uis me sponte perire.' —
N "Quid? Si sic ibis, fortassis sponte redibis." —
P 'Vt redeam sponte, quis cogit? Cogor ab hoste?' —
N "Hostis non cogit, sed amicus stare rogabit.
Audi quid dicam. Cupio te uiuere saluam,
Et mihi si credis, fit quod placuisse uidebis." —
P 'Quid placet ut credam? puerum quoque uisere pergam?
Non esset purum. Sum certa quid inde futurum.' —
N "Non tibi sit cura, tibi sunt bona quaeque futura.
Me cape ductorem, uenias, postpone timorem.
Ignoras illum, qui se tibi spondet amicum;
Si bene cognosses, uelut agnum tondere posses.
Quid sit amor nescit, pudor est cum femina transit." —
P 'Tu laudas quod amas, sed non erit omne quod optas.
Lasciuus puer est et tela cupidinis infert.
Non esset tutum secrete ludere secum.' —

---

131 quia] tu BEVWX — uis me] me vis BEWX vis quoque V — sponte] psonte M — *132* N] *om.* HMV v͡a nûccij B — Quid] Quod BEWX Quo V — fortassis] fortasse X — *132 et 133 inuerso ordine leguntur in* X — *133* P] *om.* HM puelle v͡a B ṽgo V — Vt] Et X — quis] quid B — cogit] cogit et W — cogor] cogar V — *134* N] *om.* HM v͡a nûccij B Nū V — *135 in marg. add.* HM: Nun — Cupio te] quia te volo M quia re volo H — *136* Et] Quid EWX Quid *corr. in* Quod B — si] *om.* B — fit V: sic BEHMWX — quod] quid X — uidebis] videris BEX — *137* P] v͡a puelle B *om.* V — quoque] quod EVW *om.* B — pergam] vadam BEWX — *138 in marg. add.* V: Uirgo — Non] Hoc BEVX Hic W — purum] durum BEVWX — sum certa] bene certa V discernere BEWX — quid inde] quidue X — *139* N] Nû M v͡a nûccij B Nunci^{9} V — bona] bene E *om.* B — *140* cape] tene V — *141* tibi spondet] promittit BEVWX — *142* Si bene] Quem si M Omnibus W — cognosses] cognosces BEMWX — tondere M: toncere H tangere BEVWX — *143* Quid] Quis E — sit] si V — amor] amoe M — nescit] nescis V — pudor est cum femina transit] pudor est si femina crescis V sed tecum ludere qaerit BEWX — *144* P] Uirgo V *om.* B — laudas] queris BEWX — amas] ames X — sed non erit omne quod] non omne quod erit HM cum non erit omne quod V — *145* est] es V — cupidinis] cupidus EW — infert] infers V ferit E — *146* esset] nimis est E

N “Praesens esse uolo, solam dimittere nolo.” —
P ‘Quam cito dimittis, si forte fores mihi claudis.
149 Quam mox sum uicta, postquam sum sola relicta.’ —
N “Si uulpes stares, catulos fortasse fugares,
Nam multis uerbis tibi diuerticula quaeris.” —
P ‘Si uulpes starem, te fallere uelle probarem:
Mel portas ore, sed fel latitat tibi corde.’ —
N “Iam cessent uerba, satis esse uidentur acerba.
155 Est mihi parua mora, redeamus ad anteriora.” —
P ‘Laudo quod dicis. Nam conuenit illud amicis,
Aspera quod celant et dulcia quaeque reuelant.
Ergo tu repetas eadem quae nuper agebas.’ —
N “Quid iuuat ut repetam, quia nescio spem mihi saluam?”
P ‘Est graue quod quaeris, me perdere uelle uideris.
161 Si mater sciret, manibus lacerata perirem,
Nec non cognatos timeo mihi perdere gratos.’

---

esse X — secrete] secreto V — *147* N] Nũci^{9} V *om.* BHM — *148* P] verba puelle B virgo V — Quam] Quasi W — cito] scito V — dimittis] dimissis EW dimisset B — si] *om.* B — claudis] claudes B clausus W — *149* Quam] Et BEVWX — sum^{2}] sim X — *150* N] nũ HV *om.* BM — Si] Sed B — stares] staret BEWX — catulos] catulus BW — fortasse] sibi forte EW si forte B — fugares] fugaret BEWX — *151 om.* BEWX — *152 om.* BEWX — P] *om.* B Pu H Vḡo V — uelle] posse V — *154 post 156 legitur in* BEWX — N] *om.* BV — Iam] Non W — cessent V: cessant BEHMWX — acerba] acerb M — uidentur acerba] videris amara W — *155 in marg. add.* B: v͡a nũccij — Est mihi] Cur X Est et B Esse V — parua] prona W — mora] more W hora X — anteriora] illa priora BEVWX — *156* P] *om. libri* — quod] quid BWX — Nam] non BEWX — *157* quod] quam X que E *om.* B — celant] celent V — dulcia] dulcie X — reuelant] reuelent V — *158* tu] *om.* X — repetas] *corr. ex* reputas B — agebas] aiebas BVW a///ebas *erasa* g *littera* X — *159* N] P HM Nũ V *om.* B — ut] *om.* E — nescio spem mihi] spem mihi nescio BEVWX — saluam] datam BEWX certam V — *160* P] *om.* HM v͡a puel B v͡g V — Est] Cur X — me] michi E — perdere] fallere BEX *om.* W — *161* mater] mater hoc HM mater hec E — sciret] scire M — manibus lacerata] manibus lacerta HM mater lacerata EW lacerata mart^{9} B — perirem] periret *libri* — *162* cognatos] cognotos V — mihi] me BEWX.

N "Tu mihi si credis, nil perdes, salua manebis." —
P 'Quid placet ut credam? Vix te ductore recedam. —
Primo mitte fidem, mecum uenias ut ibidem,
Et postquam uenias, non me post terga relinquas.' —
N "Sit uelut ipsa petis et adhuc si plura requiris.
His ita concessis uolo finem ponere uerbis."
Dicens "Surgamus" sibi nuntius inquit "eamus". — —
Sic uadunt ambo, sic multa locuntur eundo.
Hanc ego cum uidi, talem uidisse cupiui.
Cum prope plus fuerat, tanto plus ipsa placebat.
Protinus ardebam, bene scitis quid cupiebam.
Molliter accessi, sibi dulciter oscula gessi.
Quod cum cernebat, mihi multa referre uolebat
Et rogat audire, sed nuntius innuit ire.
Tandem quid feci? Festinans pergere coepi.
Et mox intraui loca quae secreta probaui.
Iam sibi uirgo timet quaerens quo nuntius iret.
Hunc me misisse dixi statimque redisse.
Mox haec dum sentit, quod nuntius ille recessit,

---

163 N] v͡a nûccij B Nū V — *164* P] v͡a puel B Vḡ V — placet ut] faciam BEVWX — te] me BEX — ductore] doctore B — *165* mecum uenias ut] mecum vt venias BE venias vt mecum W — *166* uenias] venies X — post terga] posterga E — relinquas] relinques BX — *167* N] v͡a nûccij B Nū V — uelut] velud HMV — ipsa] ipse X — plura requiris] plurima queris HM — *168* His] Hijs BE — concessis] finitis HM — finem] fidem BEVX — *169* sibi nuntius] sic nûccius B ad eum mox V — *170 in marg. add.* B: v͡a juuenis — locuntur W: loquuntur BEHMVX — *171* cum] dum HM vt BEW — talem] hanc c° B — uidisse] venisse M — *172* plus ipsa] magisque HM — *173* quid] quid quid E — *174* accessi] incessi BEWX — sibi] sic B — dulciter] molliter] BEW mollia X — oscula] omnia BEX — *175* Quod] Que HM — multa] mluta H — *176* ire] iret W — *178* secreta] secrata B — *179* sibi uirgo] sic virgo B virgo sibi V — timet] tumet X — *180 sic legitur in* HM; BEVWX *praebent:* Dixit misisse (mississe B) promisit (promissit B pro missis X) semper adesse — *181* Mox haec dum sentit] Mox hec dum sensit M Mox vt persensit V Statim persensit BEW Statim presensit X — nuntius] *om.* B.

P Exclamat uirgo: 'Pacem, carissime, quaero.
Non ego sic ueni, per uim nolo retineri.
Cur mihi non credis? Hic nuntius est mihi testis.
Dic ubi sis, care. Puer hic me laedit amare.
Audis clamare? Debebas hic prope stare.
Quo tu uenisti? Numquid phantasma fuisti?
Pacta fides fuerat, sed eam nunc quis mihi seruat?
O maledicta Fides, cunctis te taliter offers?
Nulla fides uere, cunctis hic testor aperte.
Nam modo si qua foret, non me sic iste teneret.
Sponte fides mille periurus fecerat ille.
Nunc me decepit; si uixero, non bene fecit.
Quo fugit ille canis mendax, leccator inanis?
Si praesens esset, a me tormenta subiret.' —
Talia cum loquitur, lecto prope stante locatur.
Cetera quae restant Venus associata ministrat.
His ita finitis ludus nouus accidit istis.

---

182 P] *om.* H vâ puel B Uirg. V — *183* per uim nolo retineri] per vim me nolo teneri V pro me mihi volo tueri B per me mihi volo tueri E pro me non volo tueri W parce mihi nolo teneri X — *184* credis] dicis E — mihi[2]] tibi X — *185* laedit B: querit EHMVWX — *186* Audis] Audes HM — Debebas] Debes V — hic] hic hic E hic tu V — *187* Numquid] nunquam X — phantasma] fantasma *libri* — *188* Pacta] Facta V — fuerat] fieret W — nunc quis mihi] nunc qui mihi HM nunc quis modo V quis nunc mihi BEW quis nunc sibi X — *189* cunctis] alijs HMV — *190* uere] certe V — aperte] habere BEX — *191* modo] mihi BEX — non me sic iste] non me sic ita HM et malus iste BEWX et malus ille V — *192* mille] vllo W vite X — periurus V: periuria HM per vires EX per vices BW — fecerat V: faceret HM federat BEWX — ille] illa W — *193* Nunc] Hunc V Me BEWX — me] male BEVWX — decepit] cepit E *corr.* B — uixero] vix ero B — fecit] erit EW — *194* leccator] lecator VX leccatur B — *195* esset] adesset B esse H — a] non HM — a me tormenta subiret] a me mox (cito V) mortuus (mortis W) esset BEVWX — *196* cum] dum BEX — prope stante] properante BEWX — *197* ministrat] mimistrat H — *198* His] Hijs BEHM — ludus nouus] luctus nouus V nouus ludus HMW — istis] illis BEVX.

N Nuntius accessit dicens: "Quis talia iussit?
Non fuerat pactum quod taliter hoc foret actum.
Ah quod nesciui, nouiter cum nuntius iui.
Nam si praescissem, non sic deceptus abissem.
Sentio: deliqui, quod te post terga reliqui.
Cur oculos tergis? Dic quae sit causa doloris.
Laesit te quisquam? Mox accipiet sibi poenam." —
P 'Luctus saepe grauis risu contingit inani.
Nam modo si gaudes, quod fecisti mihi fraudes, —
Fit, cum ridebis, quod gaudia dura tenebis.' —
N "Aspera cur loqueris? Irasci quare uideris?
Tu mihi nunc soli culpas infundere noli.
Nam tu fecisti, sine me, tu causa fuisti.
Ante fores stabam, me uelle uocare putabam,
Sed nihil audiui, mirabar, solus abiui.
Post haec quid fieret, quis Iuppiter hoc modo sciret?
Custodem puerum feci consistere tecum,

---

199 N] v͡a nûc B Nũ V — dicens] condicens W — iussit] gessit HM — *200 om.* E — fuerat] proderat HM — hoc] hic WX — *201 om.* E — Ah] Hach HM Ach BV Actum W — quod] quot V — nesciui] nescini H — iui] ini M — *202* sic] ita HM *om.* BEW — abissem] abijssem BE fuissem X — *203* post terga] posterga E — *204* Dic quae] que dic V — sit] sit tibi B — *205* quisquam] quitquam X — Mox] nunc V — sibi] ipse BE — *206* P] *om.* B Uirg. V — risu V: risus BEHMWX — contingit] contigit X — inani V: inanis BEHMWX — *207 om.* E — *in marg. add.* B: v͡a puel — modo si] si nunc BWX — quod] *om.* W — fecisti] fecisses WX — *208 om.* E — Fit cum] Sed cum B At cum HM Si tamen V Sic mihi X — quod] tunc BW — gaudia dura] tristia queque HM — tenebis] videbis H vidibis M — *209* N] *om.* H v͡a nuc B Nũ V — cur] cum EHMW — quare] velle V — uideris] videberis B — *210* Tu mihi nunc] Sed mihi tu BEVWX — infundere] imponere BEVX — *211* tu fecisti] tu venisti E cum venisti BVWX — tu causa] tu clausa BVWX reclusa E — *212* Ante] Cum BE — fores] foris B foras E — uocare] vocari BE — *213* solus] et solus E — *214* Post haec] Post hoc B Postea V — quid] quod B — quis] quas EW q̆ B vix V — Iuppiter] iupiter *libri* — hoc] hic BE h̉ X hec W — sciret] scirec M silet BE solet W.

Qui te seruaret, contra quoscunque iuuaret.
Nescio si fecit, bene te puer ille recepit.” —
P ‘Sum male decepta puero custode recepta,
Et male tractata te deceptore uocata.
Numquid eram surda, quod non sensi tua uerba?
Cauta satis fueram. Cur haec non ipsa timebam?
Si praedixisses, pro me recitasset Vlixes.
Pessimus es certe, cunctis quod testor aperte.
Nulla fides tecum. Sed non etiam foret aecum.
Nam seruus nequam rem nunquam diligit aequam.’ —
N ‟Aspera uerba tenes, aliquid rogo parcere debes.
Nil merui tale, nunc quin mihi sit ueniale.
Nubere tempus erat. Iuueni tua forma placebat.
Ille laborauit, donec sibi te sociauit.
Non dicas aegre, quia uult sibi talia quisque.
Est et semper erit, iuueni quod uirgo placebit.
Non ita sis maesta, melius quod sis bene laeta.” —

---

216 Qui] Quis EWX — contra quoscunque] et conscia queque BEWX et contra quosque V — *217* te] *om.* BEX — *218* P] v͡â puelle B Uirg̃ V — Sum] cum V — *220* Numquid] Nunquid HM — *221 om.* BEHMWX — haec] tunc V — *222* praedixisses] predixisset BEX — pro] per BEX — recitasset] recitauit W certasset *in marg.* ɫ recitasset V — *223* quod] hec EVW hoc B hic X — *224* Sed non etiam] non h̕ eciam X non hoc etiam V non ore W nomê ecce E quod hoc ore fiat B — aecum] equum *libri* — *225 om.* E — Nam] Non W — nequam] nunquam HM — rem nunquam] nullam rem BWX rem nequam HM — *226 om.* BEW — N] nû HV — rogo] virgo V — parcere] parcerr M — *227 in marg. add.* B: v͡â nûccij — merui] metui BE — nunc quin mihi sit] mihi sit quin tunc V mihi nunc quin sit BEW mihi quin nunc sit X — ueniale] venale E — *228* Iuueni tua] iuuenis tibi BEWX — placebat] placebit M — *229* sibi] tibi EW sic B — te] se BEW — sibi te] se tibi X — *230* Non] Nec BEW Ne VX — aegre] erga X — quia] nam BEVWX — sibi] *om.* X — quisque] quisquam X quisquisque E — *post hunc uersum praebent* HM: Talia ne cures fecerunt talia plures — *231* Est et semper] Et semper hoc X — iuueni] iuuenem W — placebit] *corr. ex* placebat B — *232* melius quod sis] melius est quod sis HM fit quod bene fueris V fuerat quod sis E fuit quod sis W de-

P 'Sum merito maesta, res est mihi facta molesta.
Fas est plorare, sum perdita nescio quare.' —
N "Hoc non est sapere, quod uis bene facta dolere.
Nescis fortasse graue pondus te superasse.
Respice quis puer est, merito rex uiuere posset.
Nobilis et prudens et forma praeualet omnes.
Aptus et est agilis, merito placet ille puellis.
Dum modo sis praesens, sibi cur non oscula praebes?
Femina si starem, uellet uel nollet, amarem.
Tolle moras longas, melius quod te sibi iungas.
Non sedeas, surgas, accedens postulo tangas.
Nec pudeat tactus, quoniam prouenit ad actus.
Vt res est gesta, mihi iam satis est manifesta.
Vltra ne cures, nouerunt talia plures.
Mos est anticus, ut amicam quaerat amicus.

---

cuit quod sis B res est mihi X — bene laeta] facta molesta X — *233* P] v͡a puel B Uirḡ V — est] *om.* V — res est mihi facta molesta] fuit quod sis bene leta X — *234* Fas] Phas *libri* — est] et E — *235* N] v͡a nūc B *om.* V — Hoc] Hic X — bene facta] modo facta H — dolere] plorare BEWX — *236 sic legitur in* HM, *reliqui libri praebent hunc uersum:* Scis quid (quod W) fecisti fortunam sola (solam WX) tulisti — *237* puer] nam X — est] sit EX sit est B sic W — posset] possit B — *238* prudens] prudeas M — et] in BEVWX — *239* et est] est et B et et est E — ille] ipse MV — *240* Dum modo sis] Dummodo sum BEVW Dum non sum X — sibi cur non] sed cur non V sic non est B non es sibi EW tua non sibi X — praebes] prebens BEW — *241* starem] stare BEWX — uellet] vellem HM — uel] quod HM — nollet] vellet BEWX — amarem] amare EWX am͡arè B — *242* Tolle] Tollas B — longas] tolle HM — melius quod te sibi iungas] melius quod te sibi iunge HM et te melius sibi iungas EVWX et te sibi melius iungas B — *243* Non] Cumque BEWX Curque V — sedeas] sedes BEVWX — accedens] accedas EWX accedo B melius quoque V — postulo] postula X — *244* Nec] Ne BEWX Nil V — pudeat] pudeas BEWX — quoniam] q̄ui E q̄n B — prouenit] peruenit BEVX — *245* est[1]] *om.* B — iam satis] satis iam W res satis B satis X — *246* om. BEWX — ne] nil V me HM — *247* anticus] antiquus *libri* — quaerat] querit EHMW — amicus] amicas B.

Quis non laudabit, cum pulcram pulcer amabit!” —
P ‘Tu dicis uera; quid prodest magna querela?
Vt res est, dicam: Puer hic me quaerit amicam.
Talia qui faciunt, non omnes inde peribunt.
Multi saluantur, qui plus peccasse putantur.
Non ego sum sola, quae sum maledicta uocanda.
Iuppiter et Iuno lecto sociantur in uno,
Mars duxit Venerem, Vulcanus amauit eandem.
Quis dicit contra? Non est scelus, omnia iusta.
Non curo uerba mihi si dicuntur acerba.
Saepe quod optaui, feliciter ipsa probaui.
Nolit siue uelit, sibi me puer ipse tenebit.
Si placet, hunc teneo, si non placet, hunc retinebo.
Fas est ut surgam, tibi collo brachia iungam.’ —
Surgit et accessit, amplectitur, oscula gessit
P Dicens: ‘O care, quis te non posset amare!
Ipsius Veneris tu filius esse uideris.

---

248 laudabit] landabit M laudauit X — cum] si BEVWX — pulcram] pulcra W pulchram BEHMV — pulcer] pulcrum W pulcher BEHMV — amabit] amauit] X — *249* P] v̂a puel B Uirḡ V — prodest] prdest M — *250* hic] huc W — me quaerit] me duxit V sibi duxit BE seduxit W subduxit X — *251 in marg. add.* HM: N — faciunt] facinnt H — inde] m̂ BE — peribunt] perhibunt V — *252* Multi] Multe H Mult *in rasura atram. adscr.* i M — qui] que M — plus] sic V — peccasse] fecisse BEWX — putantur] probantur V — *253* sum] sit V thais X — uocanda] vocata BEWX — *in marg. add.* H: P:, M: P — *254* Iuppiter X: iupiter BEMVW iupitir H — *255* Vulcanus] wltanus E — amauit] amabit M duxit BEWX — *256* Quis] Quid E — dicit] dicat W *om.* V — non est] nusquam BEVWX — *257* curo] teneo V — dicuntur] dicantur BEVX dicaui W — *258 om.* B — feliciter] iam dulciter V — ipsa] ipse HMV — *259* sibi me] me BW forme EX — ipse] iste BEWX — *260* placet hunc] tamen ipsa V placet ipsa X cum ipso BEW — retinebo] tenebo BEVWX — *261* Fas] phas BEWX — ut] quod V — tibi] sibi BEWX — *262* Surgit et] Surgens HM — et accessit] *bis legitur in* V — amplectitur] amplectens HM amplectatur V amplectus W — *263* P] *om. libri* — quis te non] quis te quis non E — posset] possit B — *264* Veneris tu filius] tu veneris filius nam BE tu veneris filius

Et fateor, quod te non diligo clam, sed aperte.
Non timeo factum, satis est quia taliter actum.
Gaudeo te puero, non altera gaudia quaero.
Est tua uita salus, poteris dum uiuere saluus.
Hic et legatus meruit, quod sit tibi gratus.
Donum regale tibi duxit nescio quale.
Si regina forem, facerem quod haberet honorem,
Et merito grandem, quia nescio uiuere talem.
Est bene nutritus, bene cautus, ad omne peritus.
Nobilis est, aptus, stat nostro munere dignus.' —
Quod dicis laudo. Gemmis donetur et auro.
Purpura si qua uelit, dabitur quodcunque placebit. —
Munus ut accepit legatus, talia dixit:
N "Assit parua mora, quia lucis adimminet hora.

---

non W — *265* Et] Nam W Non EX Iam B Vt V — fateor] fatear V — quod te] cum te W certe BEVX — *266* est] *om.* X — quia] quod BEX — *267* Gaudeo] Gaudio E — te] cum BEX tum W — gaudia] *om.* B — *268* Est] Que X — dum] quoque V — saluus] sanus EVWX salus B — *269* Hic] Hec HM Hoc W — et] tibi BEVX — meruit] credo BEWX — tibi] bene BEX — *270* quale] quare HMW tale VX — *272* grandem V: talem BEHMWX — talem] qualem BEWX — *273* Est] Et E — omne] omnia W — peritus] paratus EX — *274* Nobilis] Nobis M — est] et B ac V — stat nostro] sit nostro HM nostro stat V — munere] pignore BEWX — dignus] tutus BEW — *275 in marg. add.* V: Ov^{9} — Quod] Quid BX — dicis] facis HM — laudo] laudis W — donetur] ditetur V — *276* Purpura] Plurima BEVWX — quodcunque] quo deuqȝ H — dabitur quodcunque placebit] tibi dicat et ipse tenebit V — *277 huius uersus loco* BEVWX *alium praebent qui in* HM *post* 277 *legitur:* Inquit legatus (ligatus HM) dono primum (dono prius W iamiam donis M iamiam dona H) decoratus (decoriatus V) — legatus] ligatus HM — *adhibui inde ab hoc uersu eum uersuum ordinem qui in* V *reperitur;* X *praebet hunc ordinem:* 277. 279. 281. 283. 285. 287. 289. 291. 293. 295. 297. 278. 280. 282. 284. 286. 288. 290. 292. 294. 296; *idem ordo exstat in* BEW, *nisi quod omissi sunt* 278. 280 *in* BEW, 290 *in* E; HM *uu.* 277—285 *eodem ordine praebent quo* V, 286—297 *omiserunt* — *278 om.* BEW — N] *om.* HMV — Assit] Absit X Vt sit [?] V — quia] quod X — adimminet]

Per loca secreta redeas sub nocte quieta,
Ne manifestetur, si quisquam forte uagetur.” —
P ‘Vera mones, care, rogo te mecum remeare.’ —
N “Tu mihi coniuncta postpone pericula cuncta.
Hector et Achilles, Aiax, fortissimus Hercles,
Si praesto starent, non me pugnando fugarent.” —
His uerbis tuta fuit illum uirgo secuta. —

Mox ambo pergunt et uerbula mutua dicunt. —
Nuntius astutus fuerat cum uirgine captus.
Hi, qui ceperunt, laeti satis inde fuerunt
Illico dicentes se uirginis esse parentes.
Et ‘uestrum’ dicunt ‘opus hoc nunc displicet illud
Horis nocturnis, cum sit fas ire diurnis. —
Dic, bone uir, quis sis, aut quo uestigia tendis?
Miramur multum te sic abscondere uultum.
Virgo uenit tecum. Dic quae tibi gratia secum.

---

adinnuet HM imminet X — lucis adimminet hora] nobis adimit ho *in contextu*, noctis adimminet hora *in marg.* V — *279* redeas] ipsa EW — sub nocte] ad loca HM — *280 om.* BEW — manifestetur] manifestur V — si] ne HM — quisquam forte] forte quisquam X quisquam nocte V — *281* P] Uirḡ V *om.* HM — Vera] Vota BEW Tota X — mones] mouens BW moues MX rogas HV monens E — te] *om.* BE — te mecum] noctu te V — *282* N] Nu. V *om.* BHM — Tu] En EWX An B — *283* Aiax] Ayax HM statim V eciam X ecce BEW — Hercles] hercoles E hēcl’es B — *284* starent] staret BE starem W — me] bene W — pugnando] pgnanda B — fugarent] fugaret BE fugarem W — *285* His] Hijs BEW — uerbis] nimis W — fuit] fuerat E — Ouidij nasonis sulmonensis poete de sagaci nuncio Liber explicit HM.

286 ambo pergunt et uerbula mutua V: postquam peragunt hec verba que mutuo BEWX — *288* Hi] Hii V Hos BW Nos X Has E — inde V: esse BEWX — *290 om.* E — *sic, corrupte quidem legitur in* V, *cum* BWX *praebeant haec:* et nostrum dictum iter (item W itˢ hˢ X) non displicet illud (illum BW) — *291* Horis V: Quid W Quid queris BE que res X — sit fas V: iam fas X iam phas B cum nuntio W cum nunccio E — ire V: virgo BEWX — diurnis] ducaris W — *292* Dic bone] Dc bene X — uir quis V: quis tu BEWX — quo] que E — uestigia] vestia V — *294* Dic quae tibi V: dic que sit EWX

Dic cito quid quaeris. Nisi dicas, morte peribis.
Hostis uenisti nobis hanc et rapuisti? —
Quid stamus? — Reus est. Illum suspendere fas est. —

* * *

---

que sit dic B — *295* Dic cito V: Dicito EWX Dico B — dicas] dicis W — *296* nobis hanc et V: nobis aut hanc tu X tu nobis hanc BEW — *297* reus V: reus hic BEX hic remus W — fas] phas BEW — *secuntur in* V *19 uersus alieni ab hoc carmine, de quibus cf. p.* 21 sq.

Explicit ô puellarum V Ouidius puellarum explicit feliciter W O. pụellarum feliciter finit X f⌣ ouidij puellarum B *subscriptio non legitur in* E.

DE TRIBVS PVELLIS.

H exemplar Hamburgense.
M exemplar Monacense.
P codex Parisinus.

De tribus puellis.

Ibam forte uia quadam nullo comitante,
  Solus amor mecum, qui solet esse, fuit.
Dumque meos uersus facio meditorque puellam,
  Cui possum uersus mittere quos facio,
Ecce procul uideo quasi tres nymphas uenientes,
  E quibus ut memini longior una fuit.
Haec medium sortita locum currebat et omnes
  Currebant pariter, sed tamen illa magis.
Et si forte manu iaculum sumpsisset et arcum,
  Illa mihi certe uisa Diana foret.
Sic etenim solet ista feras agitare per altas
  Siluas cumque suis currere uirginibus.
Tunc ego nosse uolens formas et nomen earum
  Incepi subita currere post solea.
Vt uero propius accedens quamque notaui,
  Cum uidi uultus qui latuere prius,
Sensi non nymphas, sed pulchras esse puellas,
  Quales aequoreas uix reor esse deas;

De tribus puellis] Ouidij nasonis Sulmonensis poete | Trium puellarum liber incipit H Ouidij nasonis Sulmonensis poete trium puel|laꝝ Liber incipit M *hoc loco titulum non praebet* P — *1* uia quadam] viam quandam M — *5* nymphas M: nimphas HP — *7* currebat] currebant M — et] ad H — *9* Et] Sed *libri* — *10* mihi certe uisa M: certe visa mihi HP — Diana] dyana *libri* — foret] fuit *libri* — *11* ista] *in libris omissum ex coniectura suppleui* — *13* nosse] nosce H — *14* subita] subito *libri* — solea] solio HM salio P — *16* Cum M: Cunque HP — qui] que H.

Vix Venerem, uix Iunonem, uix Pallada pulchram
Istis uirginibus assimilare queam.
Mox facies, mox caesaries, mox corpus earum,
Mox manus et digiti complacuere mihi;
Namque Cupido suam nostro sub corde sagittam
Ardentesque faces fixerat ipse suas. —
Lis erat inter eas, quae doctior esset earum
Cantu; nam cantu doctior una fuit.
Currebant igitur tres, ut sub iudice uero
Iudicii laudem de tribus una ferat.
Prima rosas, pomum tulit altera, tertia ramum,
Quae tria uirginibus saepe placere solent.
Est operae pretium describere de tribus unam;
Pulchrior haec etenim de tribus una fuit. —
Huius erant uestes gemmis auroque micantes,
At nitor in toto corpore maior erat.
Crinis erat flauus rutilo circumdatus auro,
At crines auro plus placuere mihi.
Vernabant roseae circum caput inde coronae,
Cum tamen absque rosis splendida tota foret.
Frons speciosa nimis, gula lactea, colla manusque
Vrebant animos et sine fine meos.
Non magis in caelo sunt lumina clara sereno
Quam fuerant oculis lumina clara suis.
Vtraque praeclaras gemmas tulit auris et aurum,
Vtraque non tanto pondere digna premi.
Forma papillarum nusquam parebat in illa,
Vel quia parua nimis uel quia stricta fuit.

---

19 Pallada] pallade H — pulchram P: pulchra H M — *20* assimilare] assimulare H — *23* sub] sibi P — *24* ipse M: ipsa H P — *26* Cantu] Cantum P — *28* ferat] fuit M — *31* Est] Et M — de] *om.* P — *35* Crinis P: Exitus H M — erat flauus] flauus erat P — rutilo] rutulo P — *37* Vernabant] Uernebant *libri* — roseae] rosae *libri* — circum H: certum M sertum P — caput] capit M — inde] atque P — coronae] chorone M — *39* nimis] minus P — *40* et] sed *libri (quos defendit Buecheler)* — *43* gemmas] gemma H — auris] aures *libri* — *44* tanto] tantum M — *45* illa] illo *libri* — *46* quia[1]] quae *libri, corr. Buecheler* —

Vbera saepe suis zonis strinxere puellae,
  Turgida namque nimis displicuere uiris;
Sed non inter eas est haec referenda puella,
  Vbera nempe satis parua fuere sibi.
Balteus insignis, gemmis stellatus et auro,
  Cingebat dominae corpora grata meae.
Singula quid referam? Si singula quaeque referrem,
  Non puto sufficerent, uix puto mille dies.
Si qua latent, meliora satis sunt omnibus illis,
  Cum scio pro certo, quod meliora latent.
Quid facerem? Non ausus eram prius os aperire;
  Nos aperire tamen ora coegit amor,
Cum dixi: Salue comitum regina tuarum,
  Femina siue dea digna salute mea.
Saluentur pariter comites quae te comitantur,
  E quibus una magis tu mihi, uirgo, places.
Quod si uos aliquae rapiunt ad iurgia causae,
  Iudicio dirimam iurgia uestra meo.
Iudicium nostrum debetis iure subire,
  Nam patet ingeniis ars bona quaeque meis.
. . . .
  Nec non et cantus edocuere meos.
Protinus audito de cantu prosiluerunt
  Et mox quaeque 'meus arbiter' inquit 'eris'.
Conspicimus gratum florenti gramine pratum,
  Cum fuit in medio quercus et umbra loco.

---

nimis] minus P — quia[2]] quae *libri, corr. Buecheler* — *48* nimis] minus P — uiris] vias P — *51* insignis] insegnis M — *56* Cum] Cumque P — quod] qua P — *58* ora] ore H — *59* Cum M: Cumque H P — *60* Femina] feram P — digna] digne H — *61* quae] qui P — *62* uirgo] virga H — *63* aliquae P: aliqua M aliquam H — iurgia] turpia P — causae] esse *libri* — *64* dirimam] diruam HM dirruam P *corr. Buecheler* — *65* debetis iure] dentur michi P — *66* ars] arsque P — quaeque] que P — *68* Nec non] Ratione P — *69* prosiluerunt] prosilierunt M — *70* Et P: At HM — mox] mox michi P — meus] meis M — inquit] inquti M — *71* Conspicimus] Conspicuus *libri, corr. Buecheler, ipse proposueram* 'conspicitur' — gramine] gramina *libri* — *72* Cum]

Illic iudicium fieri placet, huc properamus,
Nam placuit nobis omnibus ille locus.
Hic in graminea primus tellure resedi
Praecepique suo quamque sedere loco.
Tunc quae uirgo rosas portabat primo iubetur
Psallere; iussa prius psallere prima canit.
Illa canit fera bella Iouis, fera bella Gigantum
Atque refert illos igne perisse Iouis.
Haec ubi finiuit cantum, mox uirgo secunda,
Cuius ramus erat, cespite membra leuat.
Constans in medio Paridis referebat amorem;
Haec sibi namque magis cantio nota fuit.
Vix sibi desierat, cum tandem tertia uirgo —
Nam restabat adhuc tertia uirgo — canit.
Vtque suos fuerat circumdata flore capillos,
Obstitit atque manu quemque silere iubet.
Ipsa Iouem, teneros risus cantabat amoris,
Qualiter Europam luserat ipse suam.
Vox sua grata fuit cunctis, mihi gratior uni;
Vnus enim fueram, qui sibi gratus eram.
Haec quotiens sonitum roseo fundebat ab ore,
Reddebant sonitum proxima saxa suum.
Haud secus Ismariis in collibus Orpheus olim
Cantabat cithara cuncta mouendo sua.
Sic quoque Sirenes quondam cecinisse feruntur,
Cum uellent Ithacas detinuisse rates:

Cumque H — quercus] quarcus M — *74* ille locus] locus ille H — *76* quamque] quoque P — *80* Atque M: Atque pariter H Hac pariterque P — illos] illas M — Iouis] jocis P — *81* finiuit] finiunt P — cantum P: cantus HM — *82* Cuius] Cui P — erat M: fuerat HP — *83* referebat] refebreat M — amorem] amores H — *84* sibi] ibi H — magis] magno P — cantio] contio M concio H cantu P — *87* Vtque H: Atque MP — *88* quemque P: quamque HM — *89* teneros M: tenerosque HP — amoris] amorum P — *90* Qualiter] Qualibet P — ipse] ipsa P — *91* gratior] quatuor *libri* — *92* sibi] tibi *libri* — *93* sonitum] tonitum H — *95* Haud M: Hanc HP — secus] cecus M — Ismariis] hijs marys *libri* — *96* Cantabat] Cantabant M — *98* Ithacas] et

Cantu quaeque suo retinere parabat Vlixem;
  Non tamen astutum detinuere uirum.
Quod si uox nostrae foret hinc audita puellae,
  Sola licet cantu detinuisset eum.
Haec ubi finiuit cantum uocemque repressit,
  Laudaui cantus protinus ipse suos.
Vtque meum per iudicium comites superaret,
  Dixi: 'Iudicio uincis cuncta meo.
Voce tua comites deuincis et arte canendi,
  Nec tantum uoce, sed simul et specie.
Ergo tibi geminae dentur cum laude coronae,
  Nam tecum uictrix bina trophaea refers.' —
Tunc faciens geminas uario de flore coronas
  Imposui capiti praemia digna suo.
Illa quidem tacito delectabatur amore,
  Sed doluere nimis eius honore duae.
Hinc ait: 'O iuuenis, per quem mihi tanta paratur
  Gloria, debentur praemia magna tibi.
Vtque tuum meritum modo quale sit experiaris
  Atque probes nostrae foedus amicitiae,
Ipse roges a me quodcunque placet tibi munus.
  Me tribuente feres quicquid habere uoles.
Sed ne fallacem me credas esse puellam
  Et noscas uerbis pondus inesse meis,
Per sacra sceptra Iouis iurabo quae tibi dixi', —
. . . .
'Munera pro meritis promittis maxima, uirgo',
  Dixi, 'pro meritis munera magna petam.
Te peto, te quaero, cupio tibi consociari —
  Tu mihi nempe places — si tibi forte placet.

---

ratas H ratas MP — *99* quaeque H: quoque MP — parabat P: parabant HM — *101* Quod H: Quid MP — *103* ubi] mihi *libri* — cantum] cantus P — repressit] represset P — *105* superaret] separaret HP seperaret M *corr. Buecheler* — *106* uincis] vnico P *cf. p.* 54 — *109* dentur] dentnr H — *117* sit] fit H — *119* roges] rogas HM oras P — *120* habere] querere P — *122* Et P: At M Atque H — *127* Te] Nunc *libri* — quaero] queso *libri* — *128* Tu]

Nullum me teste donum pretiosius est te.
  Te mihi si dederis, praemia magna dabis.
Cum Venus ad Paridem, Pallas Iunoque mearunt,
  Offert quaeque sibi munera quaeque sua.
Cum sibi dona ferunt, elegit de tribus unum,
  Scilicet ut pulchra uirgo daretur ei.
Sed si quid sciret pretiosius esse puella,
  Non electa sibi pulchra puella foret.
Exemplo docet ergo suo quae dona petamus —
  Huius ad exemplum te, speciosa, peto —
Hic qui non timuit Venerem praeferre duabus,
  Cuius Helenam iuuenem suscipit in pretium.
At tu, quae per me superare duas meruisti,
  Da mihi quaeso tua uirginitate frui.
Sed si non tanto uideor tibi munere dignus,
  Est, dare quod salua uirginitate potes.
Hic igitur si non mihi uis dare cetera dona,
  Res licet exterius acta iuuare potest.' —
Nec mora, uirgo decens teneros faciens mihi risus
  'Ne dubites', inquit, 'noster amicus eris'.
'Ne dubites', iterat, dubium me namque uidebat,
  'Sola quidem soli iungar amore tibi.
Noster eris nostramque dabo tibi uirginitatem,
  Nam tibi seruatur uirginitatis honor.
Et ne spe dubia per tempora longa traharis,
  Hac in nocte thori munera pacta feres.' —

Nunc M — si] si vero P — *129* Nullum] Nunc M — donum H: donum mihi MP — pretiosius] prciosius M — est te] es tu M — *131* Pallas] *om.* P — Iunoque] et Iuno HM Iuno P — mearunt] venerunt *libri* — *132* Offert quaeque] Offerre que P — quaeque²] quoque H — *135* pretiosius] precisius M — *137* suo] *om. libri* — *140* Cuius Helenam] Cuius in pretium M — iuuenem suscipit in pretium] iuuenem suscepit helenam M iuuenum suscepit in precium (precum H) HP — *144* potes] potest *libri* — *145* Hic] Hec H — uis] *om.* P — *146* exterius] interius M — *148* inquit M: dixit HP — *149* Ne] Nel H — me namque] namque ipsa *libri* — *150* iungar] virgas P — *151* nostramque P: nostram HM — *152* honor] amor H — *154* munera pacta feres]

Dixerat atque monens comites, patiantur abire,
  Ad castrum celeres dirigit inde gradus.
Iam mare contingit Phoebus cum curribus altum,
  Cum subiit thalamos nostra puella suos.
Non bene certus eram, quamuis iurauerat, quod me
  Lege thori uellet consociare sibi;
Sed temptare uolens — neque iam temptare nocebat —
  Temptaui tandem calliditate mea.
Nam sibi mentitus me uelle domum remeare
  Dixi: 'Virgo, mane, me decet ire, uale.' —
Protinus illa mihi gratissima basia praebens
  'Hic tibi nobiscum cena paretur', ait,
'Hic tibi sint nostri communia gaudia lecti,
  Hic nos una Venus iungat et unus Amor.
Nox tenebrosa uenit, totum nox occupat orbem,
  Nec nitet in caelo luna serena suo.
Ianua nulla patet, per quam possis remeare,
  Nec potes in tenebris solus abire domum.
Saepe solent etiam noctis simulacra nocere
  His, qui nocte uiam continuare solent.
Hinc nox, hinc et amor te conantur retinere,
  Impedit ecce tuas utraque causa uias.
Tertia sum, quae te conor precibus retinere.
  Tu modo non uanas fac precor esse preces.
Miror si tria, nox et amor et pulchra puella,
  Non poterunt unum te retinere uirum.
Care, precor, remane mox tu sensurus amores,

---

feres tibi munera pacta *libri* — *155* atque] aque M — patiantur *Buecheler*: parantur *libri* — *156* inde] iude M — *158* subiit] snbijt H — *159* quod] vt M — *160* consociare M: consociari HP — *164* Dixi] Dtxi M — decet] decec M — *166* nobiscum] vobiscum H — paretur] paratur M — *167* communia P: conuiuia HM — *170* luna] lumina M — serena] sereno HP clara M — *171* possis P: poscis H posset M — *173* simulacra] simulachra *libri* — *175* et amor] amorque qui H — conantur M: conor precibus HP — retinere] remanere M — *177* quae] quem H — *178* uanas] varias M — *180* poterunt H: poterint MP — *181* amores] amoris *libri*.

Atque facis, si non ferrea corda geris.’
Annuitur nostrae precibus uotisque puellae,
Quodque sibi placuit, non mihi displicuit.
Iam bene cognoui, quod me non despiciebat,
Nam si despiceret, non ita me peteret. —
Cena parabatur, fumabant undique carnes,
Vndique mensa suos ponitur ante thoros.
. . . .
Et complent operam femina uirque suam.
Hic dat aquam, fert hic epulas, hic pocula ponit,
Nititur officio quisque placere suo.
Sedimus ad cenam, — fuerat quoque cena parata —
At non cena mihi profuit illa nimis;
Nam quotiens oculos dominae uultusque uidebam,
Igne calescebant corpora nostra graui.
Ah! quotiens gemitus, quotiens suspiria traxi,
Cum risus uidi, quos dedit illa mihi.
Gaudia sunt risus, sed si uolo uera fateri,
Ille mihi risus causa doloris erat.
Tum doleo, tum non ualeo corpus recreare
Deliciis, quarum pars mihi magna fuit.
‘. . . . .’
Dixit et in primis oscula pauca dedit.
‘Care meus, comede quas nunc tibi porrigo coxas,
Vt tribuam coxas hac tibi nocte meas.
Grande tibi pretium do, nam mea crura ferendo
Praemia magna feres, si tamen illa feres.’ —
Has ego suscepi, cum carnibus ossa comedi,
Nam non ulla mihi dulcior esca fuit;

182 facis] faces P — *183* Annuitur *aut* Annuimus *Buecheler*: Annuiter P Annuis ac M Annuis H — *184* displicuit P: displicnit H dispicuit M — *185* bene H: breui MP — *187* fumabant] fumebant M — *190* femina] feram P — *192* officio] asticio H — *194* nimis] minus P — *196* calescebant] calescebam M — graui] grato *libri* — *197* Ah] Hach *libri* — *200* doloris] dolorum P — *204* et] ac *libri* at *Buecheler* — *208* crura] cura M — *209* suscepi M: suscipiam P susciperem H — *210* fuit] fnit M.

Quod si forte cibos tribuisset deteriores,
Prodessent tali condicione mihi.
Hoc ubi laudauit, dedit aurea pocula, sumpsi,
Quaque prius biberat, hac ego parte bibi.
Sic cibus ac potus potuerunt me satiare,
Qui poterant minime me satiare prius.
Finierat cena. Post cenam mensa leuatur.
Virgo iubet lectum quemque parare suum.
At famuli Bacchum uelut ebria turba canentes
Nec sibi nec nobis composuere thoros.
Sed uino somnoque graues ibant titubando,
Nec norat solium femina uirque suum.
Accubat hic summo feno, iacet alter in alto,
Graminibus strato sternitur ille suo.
Ipse thorum dominae petii domina comitante,
Ipsa petit solium me comitante suum.
Ferre duos iuuenes iuuenis thorus ille ualebat;
Quem scio non tantum, nos tulit ille duos.
Hunc manus artificis mira sculpauerat arte;
Namque deos illic pinxerat atque deas.
Iuppiter hic stabat ridens fallensque puellas:
Has agni specie decipit, has aquilae.
Hunc in tam uariis habuit pictura figuris,
Vt uix ullus eum crederet esse deum.
Ex alia parte picti fuerant nimis arte

211 tribuisset] tribuissem P — *213* laudauit] laudaui M — aurea] aucam P — *214* Quaque] Qua *libri* — *215* ac] atque *libri* — *219* At] Ac H Hac M Sed P — Bacchum] bachum *libri* — uelut] uelud M — turba] tuba H — canentes] canentis M — *220* thoros] thori M — *221* uino] vno H P vna qui M — somnoque] sumpnoque P — ibant] ibaut M — titubando] titilando M — *222* norat] vocet *libri* — solium] socium *libri* — *223* summo] somno *libri* — *226* solium] socium *libri* — *227* iuuenis] *suppleui ex coniectura*; *an mauis* 'paruus' *tale quid?* — thorus] thorus sic *libri* — ualebat] volebat M — *228* ille H: esse M ille esse P — *229* Hunc] Huc H M Hec P — sculpauerat] *cf. p.* 53 — *230* deos] deas P — illic P: illinc H M — *231* Iuppiter] Iupiter *libri* — ridens] videns *libri* — *233* Hunc P: Nunc H M — *235* picti M: picte H victe P — nimis] minus P.

In lecto nudi Marsque Venusque simul.
Illic Vulcanum tendentem retia uidi,
Vt simul in lecto prendere posset eos.
Mox quoque pertimui, ne nos comprendere uellet,
Tam bene picturae finxerat auctor eum.
Cumque satis risi, risit quoque nostra puella,
Sed magis hic risus conueniebat ei.
Quid moror? Incumbo tandem lecto pretioso
Atque tegunt artus pallia picta meos.
Denique uirgo iubet thalamis exire puellas
Firmauitque seris ostia clausa suis.
Vndique fulgebant auratae lampadis ignes,
Tamquam cum rutilis Sol foret intus equis.
Se facit haec nudam, uoluit quoque nuda uideri,
At non in tenera carne fuit macula.
Nunc mihi credatis, si credere uultis, amantes:
Membra fuere sibi candidiora niue,
Nec niue quae tacta Phoebo fuerat liquefacta,
Sed niue quam nullus sol tepefecit adhuc.
Ah! quales humeros et qualia brachia uidi.
Candida crura nimis non ualuere minus.
Parua papilla fuit, fuit apta, fuit speciosa,
Si paulo rigida, non minus apta fuit.
Pectus erat planum, planus sub pectore uenter,
Formabat medium corpus utrumque latus. —
Non referam, quamuis poteram meliora referre,
Illam cum uidi, — sed tibi non referam.
Vix me continu, cum corpora nuda uiderem,
Quin raperem cupida lactea membra manu.

---

237 retia] rethia *libri* — *239* Mox] Nec *libri* — *241* Cumque] Dumque P Cum HM — nostra] nastra M — *245* thalamis] thalamos P — *246* ostia P: hostia HM — *247* fulgebant] fulgebunt H — lampadis] lampades P — *248* rutilis] rutulis H — *253* tacta P: tacta a HM — fuerat] fuit *libri* — *254* tepefecit H: tepescit MP — *255* Ah] Hach *libri* — *256* nimis] minus H — minus] nimis H — *258* Si] Sed P — *262* Illam] Illa *libri* — *264* Quin] Cum *libri*.

Quid faciam? Nequeo spectare diutius illam
Et tamen aspicio candida membra nimis.
Quantomagis specto, tantomagis igne calesco,
Res eadem nobis et nocet atque iuuat.
Vtque mihi satis est caro candida uisa diuque, —
Et merito fuerat aspicienda diu —
Ingreditur tandem lectum praeparata manuque
Pallia picta leuans corpora nostra tegit.
Protinus adductis ad candida colla lacertis
Incepi dominae basia pressa dare,
Oscula mille dedi, totidem mihi reddidit illa,
Sunt data mille sibi, reddita mille mihi.
Illa suum nostro lateri latus associauit:
Gaudebam lateri conseruisse latus.
Ventre suo uentrem nostrum tunc ipsa premebat
Quaerebatque modis mille placere mihi.
'Tu mihi uelle tuum comple uelociter' inquit
'Nam nox atra fugit et redit ipsa dies.' —
Inde rogat dextram, dextram porreximus illi.
Sed mihi dans mammas 'Quid modo sentis?' ait.
Quas ego dum tenui, dicens ego taliter illi:
'Sentio' respondi 'munera grata mihi.
Munera iam teneo, quae saepe tenere cupiui,
Et nimis optaui munera, quae teneo'.
Inde manus retrahens palpabam crura tenella.
Illa fuere mihi dulcia melle magis.
Mox dixi: 'Non est ullum pretiosius aurum,
Non est in mundo res mihi commodior.

---

266 Et] Nec *libri* — aspicio] aspicere *libri* — nimis] niuis H — *268* et nocet] nocet et *libri* — *269* Vtque] Ut P — mihi satis est] satis est mihi HP satis est M — caro candida] et candida caro P — uisa] *inserui ex coniectura* — *270* fuerat P: fuerit HM — aspicienda] aspiciendo M — *271* praeparata] preparanda *libri* — *273* lacertis] genis *libri* — *275* mille] nulla M — reddidit] reddit P — *276* sibi] mihi sibi P — *289* Inde H: Quando MP — *290* fuere] vere HP vero M — mihi dulcia melle] dulcia mihi puelle P — *292* res mihi H: mihi res MP — commodior] commodior vlla *libri*.

Dilexi uero nobis data crura columbae,
Sed quae nunc teneo diligo crura magis.
Ergo iungamus duo corpora, iuncta premamus,
Et peragant partes corpora nostra suas.' —
Quid faciam? Referam quae fecimus? — At pudor obstat,
Ipsaque ne referam nostra puella uetat. —
Finis restabat. Sed utrum bene cesserat an non?.
Omnia nouit Amor, nouit et ipsa Venus.

---

293 uero] sero *libri* — *297* fecimus? — At] si fecimus M fecimus sic H feci sic P — *299* cesserat] cessaerat M — an non] ad nos *libri* — Ouidij Nasonis Sulmonensis poete | Trium puellarum liber Explicit H Explicit liber Ouidij de tribus puellis M Explicit Ouidius trium puellarum P.

DE TRIBVS SOCIIS.

Ganfredi de tribus sociis uersus

ed. B. Hauréau.

Tres sumus expensae socii pueroque caremus.
Hoc pro lege damus, quod prandia nostra paremus
Tempore quisque suo. Famulantibus ante duobus
Tertius ecce dies, et me uocat hora coquinae.
Ignem facturus flatu pro follibus utor.
Poscit opem defectus aquae; manus arripit urnam,
Fons petitur, lapis obiicitur, pes labitur, urna
Frangitur. Ecce duplex damni prouentus: et urnae
Et defectus aquae. Quid agam dum consulo mentem,
Intro forum. Sedet unus ibi circumdatus urnis.
Assumptas dum uerto manu, dum pernoto uisu,
Ille uidens inopem furtum timet et mihi uerbis
Turpibus insultat. Confusus abinde reuertor.
Inuenio socium, rem narro: 'Reuertar ad illum'
Inquio 'tuque sequens proclames funera patris.'

Discrepantiae codicis Vindobonensis 312:
u. 1 expensae] inpense — *pro u.* 5 *leguntur hi duo uersus:*
5 Sedulus infirmam stipulis et uimine flammam
5ª Exhilarando, diu flatu pro follibus utor. —
u. 7 obiicitur] obicitur — *pro uu.* 11. 12. 13 *leguntur hi quinque:*
11 Hunc ego dum lustro, furtum timet et mihi 'longe
12 Vade' refert 'quia te cupio magis esse remotum'. —
13 Sic miser abscedo tacitus solusque doloris
13ª Vindicat obiecta stimulus, gemitusque coegit
13ᵇ In lacrimas oculos . dum probra recenseo mecum —
u. 15 Inquio] Inquit — *uu.* 16. 17. 18 *sic leguntur:*

Dissimulo repetoque locum. Manus haec capit urnam,
Haec aliam. Socius clamans: "O! quid facis" inquit
"Quid facis hic, miserande? Pater, qui languidus, ecce
Mortuus est, et adhuc, insane, moraris?" Ad illud
»Mortuus est« manibus concussis conterit urnas
Nostra manus; fugio, qui me confudit agrestem
Confundo talique modo probra dicta refello.

---

16 Dicta placent, rediit, manus hic cito sustulit urnam,
17 Hic aliam, si sint solide lustrando; cucurri
18 Per medium clamans: 'insane, tuus pater ecce —
u. 19 insane] nimium miserande — Ad illud] *omissum est* — *post u.* 19 *inseritur hic uersus*:
19^{a} Obstupet his socius 'heu me' clamans et ad istud —
u. 20 conterit] concutit — *u.* 21 *omissus est* — *u.* 22 *sic legitur:*
22 Insequitur, fugio, dampno probra dicta refello.

Anonymi de tribus sociis carmen elegiacum

ed. B. Hauréau.

Lex fuerat sociis, ut eorum quisque pararet
  Vnoquoque die prandia quisque suo. —
Mane mea ueniente die somnum fugo, lectum
  Linquo, focum facio, prandia nostra paro.
Deest aqua, stagna peto, manui datur urna, teritque
  Terram terra, pedem petra manusque tremor.
Opprobrium uitare uolens incurro: parare
  Sollicitus nobis prandia nulla paro.
Intro forum. Sedet unus ibi circumdatus urnis.
  Vrnas cerno, manu sumo, sed ille mihi:
'Desine, derisor.' Ego sic derisus ab illo
  Discedo. Quid agam cogito quoue dolo.
Vado, uoco, uideo socium, cui taliter: 'Vrnas
  Iam mihi taxanti dic obiisse patrem.' —
Dissimulo repetoque locum. Manus haec capit urnam,
  Haec aliam. Socius deinde secutus ait:
"Quid facis, o demens? Quae te dementia uexat?
  Mortuus est genitor, atque moraris adhuc?" —
'Mortuus . . .?' — Et manibus concussis concutit urnas
  Nostra manus. Fugio, rideo, laetus eo.



Index.


Numeri nude positi indicant paginas, cum N. S. *et* T. P. *notis coniuncti uersus carminum* 'de nuntio sagaci' *et* 'de tribus puellis'. n. *significat notas.*

M. ₰

*Homers Ilias von *La Roche*. 6 Teile.
*Teil I. Ges. 1—4. 3. Aufl. 1.50
* — II. — 5—8. 3. Aufl. 1.50
* — III. — 9—12. 2. Aufl. 1.50
* — IV. — 13—16. 2. Aufl. 1.50
* — V. — 17—20. 2. Aufl. 1.50
* — VI. — 21—24. 2. Aufl. 1.50
*Horaz' Oden von *Nauck*. 13. Aufl. 2.25
*——Satiren u. Episteln v. *Krüger*.
I. Satiren. 12. Aufl. 1.50
II. Episteln. 12. Aufl. 1.50
—— Sermonen von *Fritzsche*. I. . 2.40
—— —— —— II. . . . . 2.—
Jacoby, Anthologie I. u. II. . . à 1.50
—— Beide Teile in 1 Band . . . 1.80
Isokrates v. *Schneider*. I. Bd. 3. Aufl. 1.20
—— —— II. Bändchen. 3. Aufl. . 1.80
Livius, Buch 1. Von *M. Müller*.
2. Aufl. 1.50
—— Buch 2 von *M. Müller* . . . 1.50
—— Buch 3 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 4 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 5 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 6 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 7 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 8 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 21 von *Wölfflin*. 4. Aufl.
von *Luterbacher*. 1.20
*—— Buch 22 von *Wölfflin*. 2. Aufl. 1.20
*—— Buch 23 v. *Wölfflin-Luterbacher* 1.20
*—— Buch 24 von *H. J. Müller*. . 1.—
—— Buch 25 von *H. J. Müller* . . 1.20
—— Buch 26 von *Friedersdorff* . . 1.20
—— Buch 27 von *Friedersdorff* . . 1.20
—— Buch 28 von *Friedersdorff* . . 1.20
Lucian v. *Jacobitz*. I. Bdchn. 2. Aufl. 1.20
—— —— II. Bändchen. 2. Aufl. . 1.20
—— —— III. Bändchen 1.20
Lykurgs Rede g. Leokrat. v. *Rehdantz* 2.25
Lysias' Reden v. *Frohberger*. I. Bd.
2. Aufl. v. *Gebauer* 4.50
—— —— II. Band 1.50
—— —— III. Band 1.50
*—— —— kleinere Ausgabe . . . 3.—
Auch in 2 Heften . . . . . à 1.50
1. Heft. 2. Aufl. v. *Gebauer*.
Orationes ex Sallusti, Livi, Curti
Taciti libris selectae. Ed. *Vogel* 2.40
*Ovids Metamorphosen v. *Siebelis*
u. *Polle*. I. Heft. 14. Aufl. . 1.50
*—— —— —— II. Heft. 12. Aufl.. 1.50
—— Fasten von *Peter*. I. 3. Aufl. 2.70
—— —— —— II. 3. Aufl. . . . —.90
Phaedrus v. *Siebelis-Polle*. 6. Aufl. —.75
*Platons Schriften. I. Bdchn.: Die
Vertheidigungsrede d. Sokrates
u. Kriton von *Cron*. 9. Aufl. . 1.—
*—— —— II. Bändchen.: Gorgias
von *J. Deuschle*. 4. Aufl. v. *Cron* 2.10
*—— —— II. Bändchen. Anhang
v. *Deuschle* . . . . —.90
*—— —— III. Bändchen. 1. Heft:
Laches von *Cron*. 4. Aufl. . . —.75
*—— —— III. Bändchen. 2. Heft:
Euthyphron v. *Wohlrab*. 3. Aufl. —.45
*—— —— IV. Bändchen.: Protagoras v. *J. Deuschle*. 4. Afl. v. *Cron* 1.50
*—— ——V. Bändchen.: Symposion
von *Hug*. 2. Aufl. . . . . . . 3.—

M. ₰

*Platons Schriften. VI. Bändchen.: Phaedon von *Wohlrab*.
2. Aufl. 1.50
*Plautus' Komöd. von *E. J. Brix*.
I. Bdchn. Trinumm. 4. Aufl. 1.20
II. — Captivi. 4. Aufl. . 1.—
III. — Menaechmi. 3. Afl. 1.—
IV. — Miles glor. 2. Aufl. 1.50
Plutarch's Biographien. I. Philopoemen u. Flamininus v. *Siefert*.
2. Aufl. von *Blafs* . . . . . . —.90
—— —— II. Timoleon und Pyrrhos
2. Aufl. von *Blafs* 1.50
—— —— III. Themistokles und
Perikles von *Blafs*. 2. Aufl. . . 1.50
—— —— IV. Aristides und Cato
von *Blafs* . . . . —.90
—— —— V. Agis und Kleomenes
von *Blafs* . . . . —.90
—— —— VI. Tiberius et Gajus
Gracchus von *Blafs* . . . . . —.90
Quintilian. X. Buch. Von *G. T. A. Krüger*. 3. Aufl . . . . 1.—
*Sophokles v. *Wolff* u. *Bellermann*.
I. Ajax. 4. Aufl. 1.50
*—— II. Electra. 3. Aufl. 1.20
*—— III. Antigone. 4. Aufl. 1.20
*—— IV. König Oidipus. 3. Aufl.. 1.20
*—— V. Oidipus auf Kolonos. . . . 1.50
Supplement. lect. graec. v. *Hoffmann* 1.50
*Tacitus Histor. v. *Heraeus*. I. 4. Afl. 1.80
*—— —— —— II. 3. Aufl.. . . . 1.80
*—— Annalen v. *Draeger*. I. 5. Aufl. 2.40
*—— —— —— II. 3. Aufl. 2.25
*—— Agricola von *Draeger*. 4. Aufl. —.60
—— dialogus von *Andresen*. 2. Aufl. —.90
Terentius Hauton Timorumenos
von *Wagner*. [Vergr.]
—— Phormio von *Dziatzko*. 2. Aufl. 1.50
—— Adelphoe von *Dziatzko* . . . 1.50
Testamentum, novum, graece, von
Zelle. I. Matthäus. 1.80
Theokrit v. *Fritzsche*. 3. Aufl. 2.70
*Thukydides v. *Böhme* u. *Widmann*.
I. Band. 1. Heft. 5. Aufl. v. *W*. 1.50
*I. — 2. — 4. Aufl. v. *W*. 1.50
*II. — 1. — 4. Aufl. v. *W*. 1.50
*II. — 2. — 3. Aufl. . . . 1.50
*Vergils Aeneis von *Kappes*. I. Hft.
4. Aufl. 1.20
*—— —— —— II. 3. Aufl. . . . 1.20
*—— —— —— III. 2. Aufl. . . . 1.20
*—— —— —— IV. 2. Aufl. . . . 1.20
—— Bucolica u. Georgica v. *Kappes* 1.50
*Xenophons Anabasis v. *Vollbrecht*.
1. Bdchn. 8., 2 Bdchn. 7. Aufl. à 1.50
*—— Memorabilien von *R. Kühner*.
5. Aufl. 1.50
*—— Cyropädie von *Breitenbach*.
1 Heft. 4. Aufl. v. *Büchsenschütz* à 1.50
*—— —— 2. Heft. 3. Aufl. 1.50
*—— Griechische Geschichte von
Büchsenschütz. I. Bändchen.
5. Aufl. 1.50
*—— —— II. Bdchn. 4. Aufl. 1.50
—— Agesilaus v. *Güthling* 1.50



BOSTON COLLEGE LIBRARY
UNIVERSITY HEIGHTS
CHESTNUT HILL, MASS.

Books may be kept for two weeks and may be renewed for the same period, unless reserved.

Two cents a day is charged for each book kept overtime.

If you cannot find what you want, ask the Librarian who will be glad to help you.

The borrower is responsible for books drawn on his card and for all fines accruing on the same.